DE

ELEGIAE LATINAE

COMPOSITIONE ET FORMA

SCRIPSIT

PETRVS RASI

Dr PHIL.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXCIV

MEMORIAE

MATRIS OPTIMAE AMANTISSIMAE EXOPTATISSIMAE

SACRVM

Petrus Rasi Angelo fratri S. D.

Ideo maxime quod partem priorem libri, qui est de carmine Romanorum elegiaco, tibi inscripsi, ne graveris, mi frater, si in hac altera, quam memoriae matris nostrae incomparabilis nobisque heu ante tempus ereptae semperque lugendae dicatam ac tamquam consecratam volui, nonnulla tecum communicaturus sum, quibus te ipsum et eos, qui legent haec, breviter doceam, quod mihi fuerit consilium et qua via et ratione ad hunc disputationis meae locum alterum tractandum ingressus sim. Cum enim parte priore tamquam contextam elegiae Latinae historiam scribere studuissem et huius carminis non solum naturam sive, ut Graece loquar, τὸν ἠθικὸν χαρακτῆρα, sed etiam eas res essem persecutus, quae scriptorum elegiacorum libris contineri solerent, id reliquum erat, ut formam quoque, quam dicunt, et compositionem eiusdem carminis propius inspicerem ac separatim subtiliusque pertractarem. Quo equidem munere pensoque quomodo nunc demum functus sim, alii viderint ac iudicarint: qua vero ratione totam ipse disputationem habuerim et ad exitum adduxerim, non multis, si placet, complectar.

Primum enim distichi formam et quasi naturalem notam attigi atque a nobilissimo illo Aristotelis verbo « αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρεν » profectus id demonstrare volui, hanc stropham ad naturam carminis ipsam maxime opportunam atque idoneam videri; deinde origine distichi Latini leviter tacta, ea omnia exposui, quae cum de disticho universo tum proprie de pentametro memoriae prodiderunt veteres; tum locos eos attuli, ex quibus pentametrum aut inficete conditum aut insolenter usurpatum esse nonnumquam a poetis efficitur; tum, circumlocutionibus vel verbis appositis, quibus versus elegiaci a scriptoribus plerumque significantur, in medium prolatis, omnium antiquissima distichorum exempla ac monumenta collegi, quae iam inde ab Ennio usque ad Catulli aetatem conscripta sunt hodieque exstant; tum praecipue in Catulli arte metrica, quae in eius elegiis cerneretur, tractanda idcirco paullo longius commoratus sum, ut quid esset in carmine elegiaco discriminis inter Catullum et poetas optimos eos, qui Augusti temporibus floruerunt, inde planius atque apertius pateret; postremo de trium poetarum elegiacorum principum distichis sic proprie quaesivi, ut quid unusquisque praestitisset quibusque rationibus singuli poetae inter se convenirent aut discreparent, pro viribus ostenderem. Quo in genere Propertii omnes elegias perscrutatus sum, Tibulli vero eas dumtaxat examinavi, quae fere ab omnibus germanae habentur; quod denique ad Ovidii carmina elegiaca spectat, haec mihi fuit provincia Amorum libros percensere: qua in re cur ita versatus essem, causas infra exposui, p. 109 seq.;

praeterea, ut Ovidii A m o r u m libros separatim tractandos susciperem, princeps mihi exstitit et auctor optimus ac locupletissimus (ut iampridem dixi, P. I *praef.* p. VIII seq.; cfr. p. XI adn.) Carolus Schenkelius, vir omni doctrina atque humanitate cumulatissime ornatus.

Quod vero illius opusculi pag. XI sperabam fore, ut haec altera pars angustioribus quam prior finibus contineretur, hac in re fateor me opinione lapsum esse : nam, id quod fit plerumque, mihi opere procedente materies ipsa mirum in modum amplificata est et aucta; sic, ut iam mihi non liceat dicere, quod in lepidissimo illo epigrammate fere ait Ovidius, ut nulla sit haec legisse voluptas, at leviorem esse poenam, quod multa demserim aut omiserim.

Utcumque est, mi frater, partem alteram carminis Romanorum elegiaci ad finem perduxi: quam siquis exspectationem hominum doctorum minime explere dixerit èt ad me rettulerit Aligherii illud « Lunga promessa con l'attender corto », id certe non tanto mihi dolori erit quod opus confecerim nec doctum nec fructuosum (quamvis sane hercle laboriosum), quam quod ad matris nostrae optimae memoriam recolendam non ita dignum, ut ipse volebam, statuerim pietatis monumentum. Verum « in magnis et voluisse sat est » et « ut desint vires tamen est laudanda voluntas ».

Vale, mi frater carissime, meque, ut adhuc fecisti, amare atque diligere perge. Etiam vale.

D. mense Septembri a. MDCCCXCIV. Patavio.

DE ELEGIAE LATINAE COMPOSITIONE ET FORMA

Forsitan hunc aliquis verbosum dicere librum
Non dubitet; forsan multo praestantior alter
Pauca reperta putet, cum plura invenerit ipse:
Deses et impatiens nimis haec obscura putabit:
Pro captu lectoris habent sua fata libelli.
Terent. Maur. vv. 1282 seqq.

Αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρεν.
Arist. Art. poet. IV, 19.

I.

Praeclarum illud Aristotelis: «αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρεν», quod huic libro praescripsi, cum universe in omnibus poesis generibus vere recteque dictum videatur, tum maxime ad elegiam relatum verissimum esse, nemo, opinor, negabit [1]. Ut enim versus ille hexameter nobilissimus proprium fere fuit ac peculiare carminis epici me-

[1]) Quocirca a metri varietate etiam poetas ipsos varie ab hominibus nominatos esse, idem monuit Aristoteles paullo ante (I, 10): «πλὴν οἱ ἄνθρωποί γε συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν (τοὺς μὲν) ἐλεγειοποιούς, τοὺς δὲ ἐποποιοὺς ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς κατὰ τὴν μίμησιν ποιητὰς ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες». Praeterea Cicero *de opt. gen. oratt.* I, 1 animadvertit, in poematis «suum cuiusque esse diversum a reliquis» et «suum esse cuique certum sonum et quandam intellegentibus notam vocem».

trum [1], quippe cuius tamquam ob ingressum gravem sollemnemque atque aequabilem maiestatem, vel, si magis arridet, ob decursum placidum et continuum aptissimus exstiterit numerus ad *res gestas regumque ducumque et tristia bella* scribenda, sic pentameter, quem ab hexametro duabus thesibus omissis, vel, ut alii volunt et idem est, ab huius penthemimere bis posita primum ortum esse videmus, ubi cum hexametro quasi epodos [2] coniungitur veramque efficit stropham lyricam, mirum quantum carminis elegiaci naturae ipsi atque rationi respondet. Lentus enim ille atque perpetuus hexametri numeri tamquam incessus, vel, ut magis proprie dicam, gravis rhythmus et sollemnis, qui in epico carmine fit necessario et ad narrationem, quae ἔπεα πτερόεντα requirit, valde est accommodatus [3], duabus pentametri incisionibus quasi interruptus consistere atque etiam,

---

[1]) Quamquam hexameter in aliis quoque poesis generibus rite usurpatur (ut in epistulis, ut in satiris cett.), tamen nusquam eius usus tam late patet quam in epica poesi, adeo ut eximio nomine herous versus nuncupetur.

[2]) Cfr. Atil. Fortun. *Art.* c. 27 (p. 295, 5, Vol. VI, ed. K.): «hinc (i. e. ex carminibus in deos scriptis) translatum nomen est in has epodos, quae binos versus impares habent. nam ut illic epodos canticum finit, ita hic versus secundus sensum: hoc est enim legitimum in epodis. *ergo secundum haec et elegia epodicum carmen*». Cfr. etiam pag. 291,7 et pag. 296, 3, ubi pentameter *epodicus* dicitur.

[3]) Quod nomen ipsum carminis, i. e. ἔπος, satis aperte significare videtur. Nam ridicularia agit Atilius Fortun. p. 284, 5, qui de metro dactylico disputans versum heroum etiam *epicum* vocatum docet «ἀπὸ τοῦ ἔπεσθαι», quod per eius pedes «simplicius et facilius verba eant atque decurrant». Hexametri naturam optime intellexit et explicavit God. Hermannus. *Elem. doctr. metr.* Lips. 1816, p. 331, cum demonstraret eam esse hexametri rationem ac naturam ut cum humilitatem familiaris orationis desereret, retineret tamen eius aequabilitatem, quo pariter et omnibus rebus exponendis aptus esset et diu sine taedio continuaretur.

ut ita loquar, refluere cogitur: quod si accedit (id quod optimi poetae elegiaci, Tibullo maxime duce et auctore, diligentissime curaverunt) ut cum distichi fine finis etiam orationis sententiaeque numquam fere non congruat, nemo non videt quam aptam metri formam inde exsistere necesse sit ad vivos variosque affectus animi, qui numquam subsistit sed perpetuo quasi motu praeditus modo huc modo illuc fluctuat, a se tamquam recedens et ad se rediens, commode breviterque exprimendos [1]. Igitur non inepte fortasse, si hanc rem comparatione aliqua illustrare et quasi ante oculos ponere volumus, illud adfirmaverim, fluxum hexametrorum rhythmicum cum pleno et aequabili fluminis cursu conferri posse, quod continuo placidoque

---

[1]) Hic pentametri tamquam ἠθικὸς χαρακτήρ quodammodo significatur etiam a Didymo apud Orionem p. 58, 14: «οἷον συνεκπνέοντα καὶ συναποςβεννυμένον ταῖς τοῦ τελευτήσαντος τύχαις». Cfr. Etym. M. i. v. Ἐλεγεῖα et in adn. ad 327, 1. Cfr. etiam Procl. *Chrest. Gramm.* ex Phot. *Bibl.* B, VI, p. 242, 13, ed. W.: «ἁρμόζειν δὲ τοῖς κατοιχομένοις». Quae vero speciosiora saepius quam veriora protulerunt viri docti ut distichi naturam, id est hexametri cum pentametro copulationem, expressis tamquam verbis significarent, alio loco exposui (*De carm. Romanor. eleg.* Pat. 1890, p. 23 seq. et adn. 1), taedetque huc iterum virorum doctorum commenta, ut plurimum, nugasque referre. At liceat nobilissimos Schilleri versus, quibus graphice nec minus poetice quam vere distichi natura describitur, repetere: «Im Hexameter steigt des Springquells flüssige Säule: — Im Pentameter drauf fällt sie melodisch herab». Quae sic italice interpretati sunt Fr. Zambaldius in *Metrica Greca e Latina*, Torino, 1882, p. 252: «Sgorga l'acqua nel primo e s'inalza in diritta colonna, — Nell'altro a terra melodïosa cade» et Fr. Bonatellius in *Ore felici*, Padova, 1881, p. 76: «Liquida in alto sal dell'esametro l'erta colonna, — Che pentametro poi ritmicamente cade». Quos alios ibi attuli, iis adiciatur Gottschallus qui in pentametro quandam «Centripetalkraft», in hexametro contra quandam «Centrifugalkraft» inesse dicit. (*Poetik. Die Dichtk. und ihre Techn.* I Bd, Breslau 1877, p. 285). Cfr. Hect. Stampini. *Le odi barbare di G. Carducci e la metr. lat.* Tor. 1881, p. 58.

lapsu suas aquas volutat; distichorum autem, cum inquietis maris fluctibus, qui vicibus alternis tum litus petunt tum a litore recedunt atque in se ipsi recurrunt: quam distichi elegiaci naturam, hanc rhythmi tamquam inconstantiam volubilitatemque satis commode descripsisse mihi videtur Teuffelius cum scriberet, Tibulli praecipue elegias (est enim Tibullus, ut equidem sentio, vere elegiacus et omnium Romanorum poetarum, qui hoc poesis genus coluerunt, facile princeps, ut instar omnium ille quidem haberi huiusque generis tamquam exemplar proponi possit [1]) in «*Auf-und Abwogen der Empfindungen* [2]» positas esse.

Rei igitur naturae convenienter facimus si distichon, quod ex heroico versu et pentametro constet, verum ac pro-

---

[1]) Scite vocat Tibullum O. F. GRUPPIUS (*Die Röm. Eleg.* Leipz. 1838, I, p. 406) «den Mittelpunkt der Elegie». Martialis vero IV, 6, 4 numeros elegiacos eximio nomine Tibulli metrum dicit.

[2]) *Gesch. der röm. Litt.* Fünfte Aufl. neu bearb. v. LUDW. SCHWABE. Leipz. 1890, I, p. 546. Alia etiam vocabula, ab undarum motu deducta, reperias a viris doctis usurpata esse, ut hanc elegiae vim naturamque indicarent, ut apud HUG. GLEDITSCHIUM: «*der Wogenschlag stärkerer Gemütsbewegung*» (pag. 526), in *Handbuch der klass. Altertumswiss.* cett. her. v. I. MÜLLER. Zweit. Bd. Nördl. 1885), ut apud SPERLINGIUM (*Properz in sein. Verhältn. zum alex. Callim.* Strals. 1879, p. 17): «jenes *Schwanken* und *Wogen* der Empfindung, wie es zum Wesen der Elegie gehört». Cfr. praeterea HERM. ULRICIUS (*Gesch. der Hell. Dichtk.* II, p. 107): «Der lyrische Gedanke wird ihm (i. e. dem Hexam.) gepaart durch den Pentameter, welcher *in seiner Zweiheit, in seinem Steigen und Fallen das Wogen* der Empfindungen und Gefühle schön darstellt cett.», et GRUPPIUS l. adl. p. 14: «Das Distichon selbst ist ein Bild dessen, was wir so eben geschildert haben (i. e. elegiae ipsius, quod vocant Graeci, τὸ ἦθος). Der ebene Gang fortlaufender Hexameter, das epische Abwickeln einer Erzählung wird unterbrochen, *mit dem Distichon bekommt der Vers jenes immer wiederholte Steigen und Fallen, Aufathmen und Sinken* cett.»; et p. 404: «*der elegische Charakter, jenes Schwanken und Wogen der Empfindung* cett.» Cfr. WESTPHAL. *Griech. Metr.* cett. p. 352: « .... so wird das elegische Metrum ein Abbild des bewegten Gemüthes, das.... in unvermittelten Gegensätzen *auf- und abwogt* cett.».

prium elegiae metrum appellamus, et optime hanc poesim ab Hertzbergio definitam esse contendimus, qui scripserit, elegiam id genus poesis esse quod naturae distichi esset accommodatum (Prop. eleg. Hal. 1843, T. I, p. 51) [1]. Sed non modo distichon naturae ipsi elegiae convenire videtur, verum etiam hunc numerum cum prima carminis aetate congruere apparet. Namque etsi, ut alio loco monui, de elegiae origine omnia obscura sunt atque incerta, tamen illud dubium non esse videtur, quin tum carmen elegiacum excoli coeptum sit cum, antiquissimis civitatum formis ordinibusque in Ionia mutatis, contractiori angustiorique vitae publicae rationi exprimendae hexametri gravitas atque maiestas iam minus conveniret. Quae ita ego intellegi volo ut de illa elegiae aetate accipiantur, qua carmen ipsum ad quandam artis normam dirigebatur; neque enim de antiquissima elegiae aetate, quae densa saeculorum tamquam caligine tenebrisque circumfunditur, eadem cogitare licet, quamquam elegiam nomen rei ipsi carminisque naturae conveniens tum primum invenisse consentaneum est; nam ut «vixere fortes ante Agamemnona-multi», ita et ante Homerum multos fuisse qui «...canerent forti regia bella pede» et ante Callinum vel Archilochum (horum enim praecipue ambigitur uter prior exiguos elegos emiserit auctor) multos fuisse verisimile est, qui versibus impariter iunctis animorum curas, motus, sensa includerent [2]. Quae

---

[1]) Quam arto adfinitatis vinculo forma ipsa carminis cum singulis poesis generibus coniuncta esset, optime docuit Hector Stampinius. *La poesia Romana e la metr.* Tor. 1881, p. 20 seqq. Cfr. Caiet. Trezza. *Studi critici.* Verona, 1876, p. 285.

[2]) De carminis elegiaci origine et de primis scriptoribus, qui apud Graecos floruerunt, pauca, sed quae satis viderentur, alias monui (op. adl.), cum elegiae latinae gradus et aetates, naturam, materiam persecutus sum:

res vel ideo magis confirmatur quod cum, ut mea et multorum fert sententia, nomen ipsum elegiae aliquid triste et lugubre significare videatur [1], hanc tamquam doloris

---

quae est libri, quo elegiam tractare mihi propositum est, tamquam pars prior. De compositione autem et forma eiusdem carminis quamquam prioris partis locis nonnullis vel in universum dixi vel leviter, occasione oblata, attigi, tamen nunc primum vel proprie disseram vel accurate investigabo: quae est igitur illius libri tamquam pars posterior habenda.

[1]) Cfr. GUIL. CHRIST. *Gesch. der griech. Litt.* Zweite Aufl. Münch. 1890. (*Handb. der class. Altertumswiss.* cett. sieb. Bd.) § 83, p. 107: «Ἔλεγος bedeutete ursprünglich ein Klagelied, zur Klage aber eignete sich vortrefflich jener Vers, mochte man nun durch Pausen die Unterbrechungen des geraden Ganges ausfüllen oder die Schlusslängen zu langangehaltenen Klagetönen anschwellen lassen». De verbo ipso enodando satis copiose disputavi op. adl. p. 9 seqq.: quae vero sententia omnium maxime probanda mihi videbatur (quam quidem mordicus, ut aiunt, non teneo; nam res valde est incerta neque fore ut aliquando lis dirimatur confido), eam et veteres protulerunt et ex recentioribus viris doctis nonnulli non modo aspernati non sunt, verum etiam defenderunt: ex quibus, ut eos praeteream (quorum non est numerus) qui cum multis huius nominis interpretationibus hanc quoque proposuerunt neque refutarunt, hi maxime nominandi sunt: Io. VAL. FRANCKIUS. *Callin. s. quaest. de orig. carm. eleg. tract. crit.* Alt. et Lips. 1816, p. 44 seqq.; GUIL. AD. B. HERTZBERGIUS l. adl. p. 49 seq.; F. G. WELKERUS in *Rhein. Mus.* IV (a. 1836), p. 429; NIC. BACHIUS. *Hist. crit. poes. Graec. eleg.* Fuldae, 1840, p. 13 seqq.; CAR. I. CAESAR. *De carm. Graec. eleg. orig. et not.* Marb. 1837, p. 6 et p. 27 seqq.; LAUR. SANTENIUS in *Terent. M. edit.* Trai. ad Rh. 1825, p. 305; omnium autem recentissimus et gravissimus auctor GUIL. CHRISTIUS. *Metrik der Griech. und Römer.* Leipz. 1879, II Aufl., p. 210. Neque vero me fugit, P. BOETTICHERUM nomen elegiae (cuius originem, si quis est qui nostrae opinioni minus faveat, a voce aliqua asiaticae stirpis non inepte ducat; cfr. CHRIST. *Gesch.* cett. l. adl. p. 108 et ZAMBALD. *Metrica* cett. p. 252) a verbis *elégn* et *elern*, quorum prius apud Armenios significet *calamum*, posterius *calamitatem*, dictum esse putare (*Arica.* p. 34, n. 21 [Hal. 1851]). In ZIMMERMANNI autem *Annalibus* (*Zeitschr. für die Altertumsw.* XI, 1853, p. 88 *d*) idem BOETTICHERUS, verbi quod est *elern* nulla mentione facta, vocabulum denominatum esse existimat ab *elégn* = κάλαμος, «da die Phrygier und Armenier nach den bekannten Zeugnis-

vocem, hanc elegiae quasi naturalem notam frustra requiras, ut aliquid proprium et praecipuum, apud eos qui primi feruntur elegiae scriptores atque adeo auctores; hi enim, ut ex carminum reliquiis et ex veterum testimoniis colligimus, alii aliud elegiae genus et id quidem a threnetico vel lugubri diversum tractarunt: quamquam notam illam maeroris ac tristitiae, quam carmini adhaerere et in nomine ipso penitus insidere diximus, ab eorum operibus omnino abfuisse, inepte faciat si quis contendat.

Utcumque est, si carminis elegiaci originem et pro-

---

sen der Alten verwandt waren»: quocirca putat «ein Recht zu haben ἐλεγεία aus dem Armenischen zu erklären und als ein auf dem *elégn* begleitetes Lied zu fassen». Quod etsi verisimile videri posse non nego, tamen id verum esse, ex nimis paucis quae attulit argumentis non apparet: sed haec sententia idcirco a vero prorsus non abhorrere videtur quod nullum est dubium quin verba quae sunt ἐλεγεῖον, τὰ ἐλεγεῖα, ἡ ἐλεγεία ab ἐλέγοις, qui erant principio modi flebiles et lugubres *ad tibiam* (quam originis phrygiae constat esse) cantati, declinata sint. Boetticherum autem ipsum postea a sua sententia recessisse, monet Christius l. adl. p. 108 adn. 3. Quam denique coniecturam nuper proposuit Herm. Usenerus libelli, qui inscribitur *Altgriechischer Versbau*. Bonn, 1887, pag. 113 seq. adn. 7, qui nomina propria Ἐλέγης «einer der rasenden Töchter des Proitos» et Ἐλεγηΐδος «Neleus' Tochter,.... einer ἄσωτος» quasi cognatione aliqua contineri suspicatur cum verbis quae sunt ἐλεγαίνειν («etymologisch gleich ἀσελγαίνειν») = παραφρονεῖν, et ἐλεγεῖον, haec sententia, inquam, (cfr. quae pauca de Theoclis fabella, quam Usenerus significat, ipse exposui op. adl. p. 34, adn. 1, et quae monuit Welkerus l. adl. p. 431), nimis in opinionis arbitrio, parum in rei natura ipsius posita mihi videtur, cum et nullis argumentis veterumve scriptorum testimoniis nitatur et ἐλέγων origini ac significationi (a quibus ἐλέγοις, flebilibus tibiarum modis, ut supra docuimus, ἡ ἐλεγεία [ᾠδή, ποίησις] et ἐλεγεῖον [μέτρον, ἔπος] inclinata sunt), nimium quantum repugnat. Asiaticam originem nomini elegiae tribuit etiam Ric. Volkmannus. *Plut. de mus.* Lips. 1856, in *Comment.* ad cap. IV, p. 68 seq. Proprie autem hoc verbum phoeniciae originis esse demonstrare studuisse Immischium (*Verh. d. 40 Vers. d. Phil.* in Gorlitz), comperi ex Christ. *Gesch.* cett. p. 108, adn. 3.

gressionem quaerimus, illud negari non potest, ut epos elegia exceperit (quam cum aliis rebus tum etiam et communi patria Ionia et genere linguae ionico cum carmine heroo quodam adfinitatis vinculo coniunctam esse apparet), ita naturali rei ipsius quasi processu factum esse, ut carminis elegiaci forma et tamquam vestis, metrum dico, ab epico, specie ipsa *parce detorta*, assumeretur; quod mirum videri prorsus non attinet: nam, ut est in rerum natura, ita in litteris atque in poesi pedetemptim et gradatim ex aliis in alia transitus fit. Non perverse igitur, sed optime et rei naturae congruenter, quamvis translatis verbis, a quodam grammatico pentametrum definitum esse contendo «primam hexametri veluti subolem» [1].

Quae cum breviter et universe praelocutus sim, ne altius quam par est repetam neve longius aberret oratio mea, iis, quae ad distichon Graecorum elegiacum proprie spectant, omissis, ea tantum in iudicium disceptationemque vocabo quae ad distichi Romanorum elegiaci gradus et aetates persequendas atque naturam rationemque cognoscendam pertinent. Qua etiam in disputatione nolo versum hexametrum singillatim tractare; namque numerus hexameter herous alienus est a proposito meo, de versu autem illo hexametro, quem ideo quod cum pentametro coniunctum

---

[1]) Mar. Victor. *Art. gramm.* l. III, p. 107, 6 (Vol. VI, ed. K.). Cfr. etiam Bed. *de arte metr.* pag. 242, 26 (Vol. VII ed. K.): «huic (hexametro) *cognatum est* et quasi familiariter adhaerens.... metrum dactylicum pentametrum»; *Fragm. Sangall. de trim. et pent.* p. 639, 14 (Vol. VI ed. K): «hic (pentameter) sine ulla dubitatione heroi hexametri *suboles* est». Cfr. etiam Ger. Ioann. Voss. *Opp.* Amst. 1697. T. III. *Inst. Poetic.* L. III, c. IX, p. 146: «.... agendum videtur de Elegiis: ut quae versu priori hexametrum habeant, posteriori alium, imparis quidem maiestatis, sed qui, *si metrum tantummodo attendas*, prope ab eo abeat».

distichon explet elegiacum, recte, ut mihi videor, appellaverim hexametrum elegiacum, illud satis sit monere, hunc nihil propemodum, nisi quod severioribus metri legibus, ut in poesi lyrica (ad quam referenda est elegia), adstrictus esse videtur [1], ab heroo differre. Cum igitur de disticho Romanorum elegiaco disputaturus sim, proprie ac singillatim pentametrum persequar, quem distichi elegiaci quasi animam dixerim; de hexametro vero, cum se occasio ipsa obtulerit, ea tantum monebo, quae cum ad distichi tum ad pentametri naturam explicandam declarandamque magis pertineant et plus conferant.

Ut autem disputationi meae firma tamquam fundamenta iaciam, cum pauca de pentametri latini origine praefatus ero, ab iis incipiam quae de versu elegiaco tradiderunt ac monuerunt veteres rei metricae scriptores.

II.

Versum illum senarium dactylicum catalecticum in bisyllabum, qui vulgo hexameter nominatur quemque princeps apud Graecos si non ille quidem invenit, at certe nobilitavit Homerus, ad Romanos primum transtulisse Quintum Ennium Rudium, nemo est qui nesciat: satis etiam constat inter viros doctos (namque de hac re numquam, quantum scio, exstitit controversia), Ennium principem apud Romanos versum etiam illum, quem proprio quidem nomine, sed impropria, sicut plerique volunt, significatione, ut mox

---

[1]) Ut haec exempli causa nunc ponam et alia pauca praeteream, in distichis elegiacis episynaliphes exempla, i. e. hexametri hypermetri numquam, hexametri autem spondiazontes longe rarissime reperiuntur. De qua re suo loco dicam.

videbimus, pentametrum vocant, ita usurpavisse, ut hic versus cum hexametro copulatus stropham quandam epodicam, et eam omnium quidem stropharum antiquissimam minimique ambitus, efficeret, quae distichon elegiacum appellatur [1]. Post versum dactylicum in litteras latinas inductum, iam defluere coepit horridus ille numerus saturnius, et quamquam in longum aevum vestigia ruris manserunt, tamen adeo fuit is versus Romanis probatus tantaque cum diligentia excultus atque elaboratus est, ut versus vere Romanus, non tamquam civitate donatus, videretur. Num mirum igitur si Ennius poesis Latinae auctor et quasi parens habetur atque alter Homerus rite vocatur? [2].

---

[1]) Cfr. J. A. HARTUNG. *Die Elegiker bis auf Alexander's Zeit.* cett. Leipz. 1859, I, Einleit. p. 1: «Der Pentameter legt sich an den Hexameter an als das Ende an den Anfang oder als die andere Hälfte eines Ganzen an dessen erstere Hälfte, und so bilden beide zusammen eine Gruppe (σύστημα) oder auch eine Kehr (στροφή), d. h. ein abgerundetes Ganzes, einen Umlauf oder rhythmische Periode». Distichon igitur elegiacum, cuius versu altero metri partem epicam, altero lyricam contineri adfirmaverim, recte dicitur metrum efficere medium interpositum inter continuum heroici versus tenorem et properantem melicae strophae varietatem. De versu autem elegiaco haec quadam elegantia commotus scripsit LUC. MUELLERUS *de re metr.* cett. p. 182: «(Is) in corolla quasi metrorum Graecorum ex meris gemmis constante secundum post hexametrum locum optinuit».

[2]) Quanta cum in aliis rebus tum maxime in artis metricae rationibus legibusque praemonstrandis ac praefiniendis fuisset Ennii auctoritas apud omnes qui consecuti sunt scriptores, nuper valde probabiliter demonstravit LUC. MUELLERUS libro qui inscribitur: *Q. Ennius. Eine Einleitung in das Studium der römischen Poesie.* St. Petersb. 1884. Qua eadem de re ante scripserat GUST. UNGERMANNUS. *Q. Ennius poeta versu hexam. in litt. lat. inducto quatenus meritus sit.* Cobl. 1866. In quodam autem epigrammate Pompilii, quod infra adferetur, Ennius dicitur *discipulus Musarum*, cum alii aliis magistris usi sint. Praeclarum in re simili Ennii testimonium est etiam apud Lucretium I, 117 seqq.: «Ennius ut

Qui autem versum hexametrum ex Graecia Romam intulit, eundem primum etiam pentametro usum esse, non est quare miremur, cum reputemus, nullum alium versum propiore tamquam cognationis gradu hexametrum contingere quam pentametrum [1]; itaque quod in Graecia ex ipsa rei natura factum esse videmus, ut pentameter ab hexametro originem duceret [2], idem Romae evenisse consentaneum erat, cum facilius imitatione ab hexametro transitus fieret ad pentametrum. Quod si etiamtum litem fuisse sub iudice quis primus auctor exiguos elegos emisisset, testis est Horatius, id de universa distichi elegiaci origine intellegendum esse patet; nam compertum explora-

---

noster cecinit, *qui primus* amoeno — Detulit ex Helicone perenni fronde coronam. — Per gentis Italas hominum quae clara clueret», et apud Silium Italicum XII, 410: «Hic canet illustri *primus* bella Itala versu». Atque optimo quidem iure Cornelius Nepos Cat. c. I dixit, cum Cato ex provincia Sardinia Ennium poetam deduxisset, id non minoris aestimandum esse quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

[1]) Marius Victorinus l. adl. p. 146, 20 omnium metrorum originem ab hexametro heroo repetit. Nam haec docet: «Ad summam *omnia metra*, et quae inter se congruunt, et quae temporum ratione contraria sunt, si plenius consideres, *ab heroo traducta sunt*. et mehercules siquis excutere penitus velit, inveniet..... *omnia genera ab hexametro heroo et trimetro iambico derivata, quamvis et iambicum heroi sit traductivum*.... unde, ut diximus, haec duo metra ut elementa ceterorum ac semina habenda merito ac dicenda sunt cett.» Atque paullo infra de metrorum generibus locutus: «Cuncta, ut dictum est, ex eadem origine atque uno fonte derivantur». Cfr. etiam p. 107, 5 seqq.; 141, 5 seqq. [Censorini] *fragm. de metris* p. 616, 7 (Vol. VI ed. K.).

[2]) Cfr. Fr. Osann. *Beitr. zur Griech. und Röm. Litteraturgesch.* I Bd. Allg. über Entstehung und Wesen der Elegie. pagg. 3-29, quem adfert Welker. l. adl. p. 426 seq.: «.... der Fortschritt aber vom einfachen heroischen Verse zum elegischen Distichon ist *um so natürlicher*.... *und die Zuzammenfügung diesen beiden Rhythmen ist um so begreiflicher*, als beide offenbar derselben rhythmischen Urgattung angehörten».

tumque est, quis Romae princeps Latinos elegos celebraverit: Ennium dico, qui ideo quod metra dactylica in primisque hexametrum heroum (cuius esse veram primamque subolem pentametrum diximus) in litteras Latinas induxit viamque, ut ita dicam, ad Parnasum reseravit, haec vera cum gloria de se ipse praedicare potuisse videtur:

> .... scripsere alii rem
> vorsibu', quos olim Faunei vatesque canebant;
> cum neque Musarum scopulos quisquam superarat
> nec dicti studiosus erat —
> ante hunc —
> nos ausi reserare.
>
> Ann. vv. 226 seqq., pag. 29, ed. M.

Quibus versibus haec subiungit Cicero Brut. XVIII, 71: « 'Ante hunc' ait ipse de se nec mentitur in gloriando ». Cfr. etiam Orat. LI, 171; « Ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere: 'vorsibu'—canebant', mihi de antiquis eodem modo non licebit? praesertim cum dicturus non sim 'ante hunc', ut ille, nec quae sequuntur 'nos ausi reserare' ».

Distichon autem elegiacum ab Ennio primum Romae usurpatum esse, et eius epigrammatum reliquiae (nam, ut suo loco videbimus, primum fere in epigrammatis, quae tot tantisque similitudinis notis cum elegia coniuncta sunt, metrum elegiacum invenitur) satis manifesto declarant, idemque aperto Isidori testimonio (Origg. I, 38) confirmatur, qui scribit: « Hoc (metrum elegiacum) vix omnino constat a quo sit inventum, *nisi quia apud nos Ennius eo prior usus est* ».

Sed de hac re satis; nunc quod instat expediamus. Volo enim hoc loco ea omnia in medium proferre, quae cum de disticho elegiaco tum maxime de pentametro tra-

diderunt veteres, ut eorum doctrinam, quae ad hanc rem spectat, uno tamquam obtutu amplecti possimus.

In primis hoc est commonendum, omnes iam fere recentiores viros doctos id una consentire, vocem pentametri perversam huius versus appellationem eiusque naturae repugnantem habendam esse. Qua in re nonnulli eo progressi sunt, ut nomen pentametri prorsus respuerent atque abicerent, ut I. H. H. Schmidtius in *Leitfaden in der Rhythm. und Metr. der class. Sprachen* cett. Leipz. 1869, p. XIII, seq. et p. 99; quem secutus Gualt. Gebhardius (*De Tib. Prop. Ovid. distichis quaest. eleg. specim.* Regim. Pr. 1870, p. 5) pro pentametro versum appellari iubet *hexametrum elegiacum* vel *hexametro heroico subiectum* [1]. Neque id quidem immerito fecisse viros doctos

[1]) SCHMIDTIUS l. adl. p. 99 cum pentametri nomen esse dixisset «eine durchaus sinnlose und verwerfliche Benennung» (cfr. HEINR. WEIL. *Jahrr. f. Phil.* cett. 1865, Bd. XCI, p. 655, qui vocat pentametrum «diesen schiefen, auf einer ganz äusserlichen, unrhythmischen Auffassung beruhenden Namen») et prooem. p. XIII caveri iussisset ut ne hoc vocabulum usurparetur, versus distichi elegiaci ita distinxit, ut priorem «*heroischen*», posteriorem «*elegischen Hexameter*» nuncuparet: qua in re eum secutus, ut modo vidimus, GEBHARDIUS *hexametrum elegiacum* pentametrum dixit plerumque. Quod praesertim ob nominis ambiguitatem improbandum ac repudiandum esse censeo: nam *hexameter elegiacus* etiam hexameter qui in elegiis h. e. in distichis adhibetur, ut ab hexametro heroo distinguatur, intellegi potest. Nimio autem pluribus verbis et ad rem significandam ineptis nomen ipsum onerare videtur altera circuitione GEBHARDIUS l. adl., qua pentameter enuntiatur «*versus hexametro heroico subiectus*»; qua etiam in definitione hoc maxime oblitus est GERHARDIUS, id ipsum ambiguum esse, cum, praeter pentametrum, alia quoque versuum genera hexametro heroo subici possint. In transitu et occasione data illud etiam animadverto, quod ait SCHMIDTIUS l. adl. p. 99 cum de perversa pentametri appellatione scripserit, carmina quoque amatoria distichis composita per abusionem et improprie nomine elegiarum vocitari, id iam apud veteres monuisse Proclum Chrest. c. VI, p. 242,17 ed. W.: «οἱ μέντοι γε μεταγενέστεροι τῇ ἐλεγείᾳ πρὸς διαφόρους ὑπο-

apparebit considerantibus, vocem pentametri naturam ipsam versus non significare atque adeo ei adversari, cum hac appellatione nulla eius rei ratio ducatur quod ex duobus membris, i. e. ex duabus *τομαῖς πενθημιμερέσι* vel caesuris semiquinariis, quarum prior dactylos et spondeos promiscue admittat, pentametrum constare, et universi nunc concedunt [1] et iampridem antiqui rei metricae scriptores monuerunt, ut Aristides, Hephaestio, Terentianus Maurus, Dio-

---

θέσεις ἀπεχρήσαντο». Cfr. praeterea Tretzes Prolegg. ad Lyc. et Orion. Theb., quos laudavi op. adl. p. 25. Sed quis, in hac re, ut in pentametri nomine, aliquid immutare velit? quis Ovidii *Amores* elegias non vocaverit? Satis erit, ut equidem opinor, de elegiae genere amatorio cogitare: non unum enim, sed plura esse elegiae genera, et nemo ignorat et ipse monui op. adl. p. 25 seqq.; p. 28 adn. 1.

[1]) Omnium recentissime, ut puto, de hac re monuit Usenerus l. adl. p. 99. Poetice quidem, sed nihilo minus rei naturae congruenter pentametri forma et compositio, utpote qui ex hexametri penthemimere bis posita principio ortus sit, hisce poetae nescio cuius (an eius ipsius qui libellum conscripsit?) distichis exprimitur, quae repperi apud Feder. Aug. Gottholdum in opusculo, cuius est inscriptio: *Hephaestion oder Anfangsgründe der Griech., Röm. und Deutsch. Verskunst.* Königsberg, 1848, pag. 51:

Immer zu wandeln allein! rief einst der Hexameter klagend:
Echo tönte zurück: Immer zu wandeln allein!
Und von der Nymphe belehrt, erzeugt er sich selbst den Gefährten,
Zweimal sprechend das Wort: Immer zu wandeln allein!

Singularem ac miram pentametri compositionem rationemque excogitaverunt J. M. Guardia et J. Wierzeyski (*Gramm. de la lang. lat. d'après la méth. anal. et hist.* Paris 1876), qui singulas prioris semiquinariae dactylicae syllabas ab ultima incipientes ad extremam recitant et haec animadverti iubent p. 736: « Peut-être la construction de ce vers a-t-elle été primitivement un jeu de métrique semblable à tant d'autres, mais plus heureux et moins puéril. Remarquons en effet qu'en renversant syllabe par syllabe la première penthemimeres dactylique, ou en la lisant à rebours, nous retrouvons exactement la seconde partie du pentamètre: 1 2 3 4 5 6 7 (– ◡ ◡ – ◡ ◡ –) || 7 6 5 4 3 2 1 (– ◡ ◡ – ◡ ◡ –) ».

medes, Plotius, alii [1]. Attamen a communi et pervulgata tritaque verbi appellatione idcirco nobis recedendum non esse censuimus, quod haec vox iam temporis diuturnitate stabilita ac confirmata est et cum saeculis aetatibusque hominum inveteravit (quae enim vel universus hominum consensus confirmavit vel longinquitas et dies quasi sanxit, ea non sunt nec temere spernenda nec inconsulto reicienda) et etiam si numerum tantum pedum in versu pentametro ante oculos habemus, recte dici posse videtur, hunc ex quinque pedibus constare, cum nihil impediat quominus duo

---

[1]) Arist. Quint. *περὶ μουσ.* p. 51-52: «τομαὶ δὲ εὐπρεπεῖς αὐτοῦ (i. e. ἑξαμέτρου ἡρώου) πρώτη μὲν ἡ μετὰ δύο πόδας εἰς συλλαβήν, ἣ καὶ διπλασιαζομένη ποιεῖ τὸ ἐλεγεῖον. οὐ πέφυκεν ἀρετὴ τὸ τὴν μὲν τῆς προτέρας συζυγίας συλλαβὴν περιττὴν ἐξ ἀνάγκης μακρὰν ἔχειν, τὴν δὲ δευτέραν συζυγίαν ἀναμφιβόλως ἐξ ἀμφοῖν συγκεῖσθαι δακτύλων»; Hephaest. *de Metr. Ench.* p. 52, 12, ed. W.: «Τοῦ δὲ δακτυλικοῦ πενθημιμεροῦς δὶς λαμβανομένου γίνεται τὸ ἐλεγεῖον»; Terent. M. *de litt. syll. metr.* v. 1753 (Vol. VI, ed. K., p. 377): «Scandunt pentametrum, duo sint quasi commata quidam cett.»; cfr. vv. 1777, 1801 seq., 1861; Diom. *Art. Gramm.* l. III, p. 502, 31, seq. (Vol. I, ed. K.): «.... posterior pentameter, id est quinarius, *scanditur duabus semiquinariis*, id est ut posterior tome duos dactylos habeat et semipedem, quod genus scansionis est usitatius cett.» (paullo infra eadem fere repetit); cfr. ib. p. 507, 3; Marius Plotius Sacerdos *Art. Gramm.* l. III, p. 512, 17 (Vol. VI, ed. K.) distinguit a «metro archilochio pentametro dactylico dipenthemimerico» elegiacum metrum, inter quae id interesse ait quod «illud (i. e. metrum elegiacum) habet primum versum heroicum hexametrum, secundum vero *dimetrum penthemimericum*, hoc vero cett.»; cfr. ibid. p. 509, 13. Cfr. praeterea in *Heph. Schol. A περὶ ἀσυναρ.* c. 15, p. 207, 10, ed. W.; Dracon. Strat. *de metr. poet.* p. 162, 3 ed. Herm.: «σύγκειται δὲ (τὸ ἐλεγεῖον) ἐκ δύο δακτυλικῶν πενθημιμερῶν»; Serv. *de cent. metr.* c. VII, p. 465, 19 (Vol. IV, ed. K.); Mar. Victor. *Art. Gramm.* l. III, p. 108, 1 (Vol. VI, ed. K.): «unde pentametri versus erit prima species, *quae de hexametri versus tome, quam penthemimeren diximus, geminata conficitur*»; cfr. p. 105, 14; p. 142, 19; p. 145, 18; Atil. Fortun. *Art.* 16, p. 291, 13 (Vol. VI, ed. K.); *Fragm. Bob. de vers.* p. 624, 6 (Vol. VI, ed. K.); Apoll. Sid. Epist., IX, 16, ad Firmin. vv. 34 seqq.: «.... elegos frequenter-subditos senis pedibus rotavi-*commate bino*» (*Monum. Germ. hist.* cett. T. VIII, p. 171 ed. Luetj.).

semipedes pro uno pede habeantur [1]: quod eo facilius in versu pentametro adfirmamus quia uterque semipes in eadem utriusque penthemimeris sede, id est in extrema, reperitur et hanc ob rem utrumque semipedem aptius quasi inter se concinere et convenire videtur, ut facilius unum pedem ex duobus semipedibus confici posse statuamus. Quid? quod Ovidius ipse ex Pont. III, 3,30 ait: « Apposui senis te duce *quinque* pedes » (cfr. Am. I, 1, 27 et Apoll. Sidon. Carm. XXIII, 24 ad Consent.: « Per *quinos* elegi (eligi) pedes ferebant »). Praeterea nomen pentametri tanta, ut ita dicam, vetustate sacrum videtur, ut hic versus ita appellaretur iam ab Hermesianacte, qui aequalis fere fuit Aristoxeni; cuius rei auctor est Athenaeus Deipnosoph. XIII, p. 598 *A*; cfr. p. 597 A (Vol. III, c. 71, p. 76, v. 27; cfr. c. 70, p. 75, 19 seqq. ed. M.) [2].

Quo loco id non est silentio praetereundum quod nonnulli ex antiquis rei metricae scriptoribus, ut integros quinque pedes in pentametro numerarent [3], ineptissima et quae

---

1) Cfr. Terent. M. v. 1753 seqq.: «Scandunt pentametrum, duo sint quasi commata, quidam — ut pedibus binis semipedes superent, — *hos sibi coniunctos spondeum reddere quintum*»; Mar. Victor. p. 109, 30: «.... semipedes, qui supersunt, coniungunt et *ex his spondeum quintum* versui adnectunt». Quod enim scriptores metrici caesuras vel rectius semipedes coniungi iubent, id hanc maxime ob causam ab iis praecipi opinor ut pes integer et is quintus conficiatur.

2) Pentameter latine dicitur *quinarius* a grammaticis, ut a Diomede p. 502, 32; cfr. etiam Terent. M. v. 1723: «hexametro cum *quinque pedum* subiungitur iste (i. e. pentameter) cett.».

3) Aliter sentit Hermannus *Elementa* cett., qui haec docet c. XXVIII, p. 356: «.... ne isti quidem, qui pravam illam distinctionem invenerunt, *numerum* putandi sunt indicare voluisse, sed *mensuram* illi volebant tali quodam modo describere, ut versum usque ad finem integris pedibus dimetiri liceret». Contra cfr. Weil. *Jahrbücher* cett. l. adl. «Der zweite Vers des elegischen Distichon heisst Pentameter nach der *falschen*

naturae versus dactylici maxime repugnaret ratione pentametrum metiri voluerunt. Quam miram pravamque pentametri pedes enumerandi rationem tecte iam ante significaverat Quintilianus cum haec scriberet: «Est enim quoddam ipsa divisione verborum latens tempus, ut in *pentametri medio spondeo*, qui nisi alterius verbi fine alterius initio constat, versum non efficit» IX, 4, 98 (cfr. § 109); sed aperte explicarunt grammatici qui consecuti sunt, ut Terentianus Maurus et Diomedes; quorum prior vv. 1757 seqq. haec tradit:

> At quidam in medio spondeum reddere malunt,
> semipedem et primum cum capite alterius
> iungunt, dactylico quae fit de commate longa:
> inde duas promptum est sic remanere breves:
> his longam adnectunt, qua dactylus incipit alter.
> cernis et hinc alias tot remanere breves:
> has ad semipedem iungunt in fine relictum,
> ultima nec refert longa sit anne brevis.
> sic spondeus erit medius, duo post anapaesti;

alter vero haec monet (p. 503, 1): «Alii vero sic scandunt (pentametrum): feritur quinquies, in primis duabus gressionibus admittit dactylum et spondeum tam in vicem inter se compositos quam sese iterantes, pro ut ratio postulaverit; tertiam regionem sine dubio perpetuo spondeus debet habere.... duobus anapaestis terminatur». Eadem fere paullo infra [1]. Quam integris pedibus pentametri

---

Abtheilung –⏑⏑ | –⏑⏑ | – – | ⏑⏑– | ⏑⏑ –, vährend er doch in Vahrheit ein zwiefach katalektischer Hexameter ist».

[1]) Cfr. etiam Diom. l. adl. p. 507, 3; Mar. Victor. l. adl. p. 110, 2; Atil. Fortunat. l. adl. pag. 291, 9; [Censorini] *Fragm. de metr.* l. adl. p. 612, 13; *Fragm. Bob.* l adl. p. 624, 10; Beda *de art. metr.* p. 242, 31

caedendi rationem nemo, quantum scio, Graecorum scriptorum memoravit, nisi quod apud Hephaestionis interpretem eius mentio facta est: «Τὸ δὲ ἐλεγεῖον μέτρον τινὲς μὲν πεντάμετρον αὐτό φασιν εἶναι, συντιθέντες τὰς μὲν δύο χώρας αὐτοῦ, τὴν πρώτην καὶ τὴν δευτέραν, ἀπὸ δακτύλου καὶ σπονδείου ἀδιαφόρως..... τὴν δὲ τρίτην ἐκ σπονδείου· τὴν δὲ τετάρτην ἐξ ἀναπαίστου· τὴν δὲ πέμπτην ἐξ ἀναπαίστου κτλ.» Σχολ. β, περὶ δακτυλ. p. 171, 28 seq. ed. W.

· Sed ineptissimam esse hanc scansionem (ut nunc varietatis gratia grammaticorum verbo utar) non ex ea causa apparet, ut mihi videre videor, quam protulit Beda l. adl. p. 243, 1, cui «id rationi metri...... minus videtur esse conveniens, cum universi qui hoc metro usi sunt *versum omnem in medio diviserint*», neque id ex iis conficitur, quae ante scripserat Augustinus *de mus.* IV, 14, 19 «.... aut cum duo constituuntur non pleni pedes, unus in capite, alter in fine, qualis iste est; 'gentiles nostros inter oberrat equos'. Sensisti enim, ut opinor, me post quinque syllabas longas moram duorum temporum siluisse, et tantundem in fine silendum est, dum reditur ad caput». Sancti Aur. Aug. opp. cett. Venet. 1729, T. I, p. 492 (cfr. Quint. IX, 4, 98). Si enim spondeos vel dactylos in prima et secunda pentametri regione, spondeum in tertia, anapaestos in quarta et quinta statueremus, quid obstaret quin post quintum semipedem i. e. in tertia sede post

---

(Vol. VII, ed. K.). Cfr. praeterea Iul. Caes. Scalig. *Poet.* Lugd. 1561, L. II, c. 24, pag. 68 et L. III, c. 125, p. 169, ubi altero loco haec leguntur: «Elegiacum veteres non caesura semper, sed perpetuo tractu *duxisse ad anapaestos*», altero vero haec: «Est autem carmen aptum conquestionibus. *In tres enim syllabas abit, duas breves: tertiam, quae nullo in versu efficere potest, ut sui ratio habeatur*»; et L. II, c. 40, p. 79: «Elegi inter dactylos *aut anapaesticos* erant statuendi».

priorem spondei syllabam vel, quod idem est, post arsim tertiam versum incidi diceremus [1]? Verum hanc pentametri pedum enumerationem falsam perversamque esse aliunde maxime conficitur; namque nullo modo ferri potest ut ordinem pedum dactylicum anapaesticus excipiat [2], quod animadvertit ac tecte significavit Marius Victorinus l. adl. p. 110, 1 cum scriberet, «hoc eo studio» nonnullos fecisse (sermo est de duplici pentametri scandendi ratione), «*ne anapaestum* pedem, *quem hexameter herous* (a quo recte docuerat procreari pentametrum p. 107, 5) *excludit*, *pentametro miscerent*». Praeterea, cum de hac mira et inaudita re taceam, quod spondeum in tertia sede ordinis sive dactylici sive anapaestici pedem constantem stabilemque esse necesse sit, ne haec tota pentametri ratio corruat (quod et per se patet et grammatici ipsi monuerunt; cfr. Terent. Maur. v. 1767 seqq.; Censor. l. adl. p. 612, 15; Mar. Victor. l. adl. p. 110, 10), nonne id magnam videtur habere offensionem, theses duorum pedum eorumque diversorum, i. e. tertii, qui spondaicus, et quarti, qui anapaesticus sit, inter se ita concurrere ac collidi, ut alter pes in thesim desinat, alter a thesi incipiat? Quid porro? num ferri ullo modo potest, duo ordines metricos inter se copulari, quorum alter *κατὰ μονοδίαν* vel singulis

---

[1]) Cfr. Atil. Fortunat., qui de duplici pentametri divisione locutus haec, praeter alia, de dactylo-anapaestica tradit l. adl. p. 291,10: «.... tertius spondeus (invenitur), *ita ut prima eius syllaba hemistichium et partem orationis finiat*, *sequens hemistichium sequens et partem orationis incipiat*». Atque de eadem re Diomedes l. adl. pag. 503, 7: «.... quia (post priorem tertiae regionis spondei syllabam) pars orationis finitur».

[2]) Cfr. At. Fortun. l. adl. p. 291, 12: «deinde mutat (pentameter) dactylicam condicionem et transit in anapaesticam».

pedibus, alter *κατὰ διποδίαν* vel binis pedibus metiendus sit?

Sed iam nostrae disputationis ratio id postulare videtur ut ea in medium proferamus quae cum de disticho elegiaco tum de pentametro veteres rei grammaticae et metricae scriptores latini memoriae prodiderunt [1].

Atque, ut temporis ordinem servemus, a Terentiano Mauro (saec. p. Chr. n. II exeunt.; cfr. W. S. Teuffel.

---

[1]) De verbis graecis quae sunt ἔλεγος, ἐλεγεῖον, ἐλεγεία cett. et de discrimine quod inter haec verba esse videtur (quamquam non raro promiscue usurpantur), nonnulla monui l. adl. p. 17 seqq. et in adnotationibus (cfr. maxime p. 20, adn. 1): quibus locis scriptorum quoque Romanorum grammaticorumque testimonia adiciam, quae vel ad distichon elegiacum universe, vel proprie ad pentametrum significandum spectant. Pentameter, qui si nominis vim et originem spectas, adiectivum est, quippe cum *versus* audiatur, simpliciter et pro appellatione dicitur, praeter Quintilianum IX, 4, 98 et 109, aliosque, a Mario Victor. l. adl. p. 109,29; 150,23; 161,2, qui etiam alio loco (p. 112,27) vocabulo utitur quod est *pentametrus* (= πεντάμετρος; cfr. etiam p. 113,24 et Caes. Bass. [Atil. Fortun.] *de metris* p. 256,23, Vol. VI, ed. K., ubi tamen non elegiacum, sed archebuleum metrum intellegitur); cfr. quae de nominibus quae sunt *hexameter* et *hexametrus* disputat Maximus Victorinus *de metr. et de hex.* p. 209,7, Vol. VI, ed. K. (Vocem quae est *pentametrus* in sua lexica non rettulerunt nec FORCELLINIUS nec GEORGESUS, qui tamen vocabuli quod est *hexametrus* mentionem faciunt); itemque *pentameter* dicitur a Diomede l. adl. p. 502, 31 aliisque locis, a quo etiam *quinarius* ibidem appellatur; cfr. praeterea apud eundem Diomedem p. 507,1 *pentameter elegiacus* (cfr. etiam [Censorini] Fragm. p. 612, 11); ut adiectivum usurpatur paullo supra p. 484, 17: «elegia est carmen compositum *hexametro versu pentametroque* cett. et aliis locis; genus neutrum tribuit pentametro (h. e. *metro*: cfr. Mall. Theod. *de metris* p. 590,2, Vol. VI, ed. K. et Bed. l. adl. p. 242, 27) p. 503, 9: «pentametrum elegeum constat cett.» (quamquam equidem non nego id etiam posse contendi hoc loco *pentametrum* pro apposito, *elegeum* autem pro appellatione usurpatum esse, — quod non libenter concesserim, cum *elegeum* nisi *pentametrum* esse non possit —, tamen etiam apud Graecos tum simpliciter πεντάμετρος, tum adiecto vocabulo quod est στίχος, tum denique neutro genere πεντάμετρον, quod cogitando explendum est nomine quod est ἔπος, nonnumquam reperitur). Utrum Terentianus genus ma-

Gesch. der röm. Lit. neu bearb. von Ludw. Schwabe. V Aufl. Leipz. 1890, Vol. II, p. 945, § 373[a]) ordiamur.

---

sculinum an neutrum tribuat pentametro, protinus non liquet, nam v. 1721 (cfr. vv. 1726. 1753) cum casu accusandi, qui dicitur, coniungitur: sed et pronomen «iste» v. 1723 et alii loci, ubi masculino genere pentameter effertur (ut vv. 1779, 1787 cett.), satis declarant, quo hanc vocem genere Terentianus usurpaverit. Plene *pentametrum versum* dicit Mar. Victor. p. 107, 7; 107, 32; 108, 1 aliisque locis, et ita ab aliis dictus: quae taedeat omnia proferre; *pentametrum elegiacum* nominat p. 108,5; 142,21; *elegiacum* tamquam substantivum p. 145, 18 (cfr. [Censorini] *Fragm.* p. 616,12) et paullo ante p. 108, 11: «*elegium versum*». *Metrum dactylicum pentametrum* est apud Mallium Theod. p. 590, 2 et apud Bedam p. 242,27. Pentameter, cuius sint dactyli duo priores pedes, *pent. herous* dicitur a Mar. Vict. p. 127, 4 et a Caes. Bass. [At. Fort.] l. adl. p. 264, 8; 268, 14; (aliter intellegit *pentametrum heroum* Atil. Fortun. p. 292, 23). *Pentameter epodicus* vocatur ab Atilio Fortun. p. 291, 7; 296, 2; (cfr. p. 295,7: «ergo secundum haec et elegia *epodicum carmen*»). *Elegium* vel *elegion* interpretatur pentametrum Mar. Victor. p. 105, 14 et p. 111, 19; (errat autem GEORGESUS, qui i. v. *elegion* hoc verbum ex Mar. Vict. p. 111, 14 adlatum explicat «das elegische distichon», cum contra ibi de versu, qui «diestigmenon elegion» dicitur, agatur. Apud Ciceronem Cat. M. XX, 73, ubi de epigrammate quodam est sermo, non constat utrum *elogium* an *elegium* legendum sit); *elegeum* contra intellegitur distichon in *Fragm. Bob.* p. 624, 3; at paullo infra p. 624, 4: «elegeo metro significatur pentameter». *Elegia* genere neutro et numero plurali effert Porphyrio ad Hor. Carm. I, 33, 1: «Albium Tibullum adloquitur *elegiorum* poetam». *Elegiacum metrum* intellegit distichon Mar. Vict. p. 57, 6: «versus hexameter sine sequente pentametro elegiacum metrum non implebit» (cfr. p. 110, 17); quam hexametri pentametrique copulationem vocat Diomedes *elegium metrum* p. 502, 30, qui paullo post (p. 503, 9) *pentametrum elegeum* nominat. Quae vero in omnibus Mar. Victorini codicibus et editionibus scripta leguntur, versum pentametrum esse metrum τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον «σαπφικόν et αἰολικόν» p. 107, 9, haec aliena videri ab hoc loco et ex iis quae infra sint de versu aeolico huc esse inlata, princeps indicavit Io. VAL. FRANCKIUS, *Callinus sive* cett. Alt. et Lips. 1816, p. 26. Cfr. quae plura de hac re ipse exposui l. adl. p. 31 adn 1. (Totum autem locum «quod metrum τεσσαρ..... dicitur», auctore BERGKIO, expungendum esse censuit HENR. KEILIUS, qui verba uncis incluserit). *Elegi* vel singulari numero *elegus* (namque in hanc alteram formam nonnumquam incidimus apud grammaticos, ut iure mireris, in clarissimis lexicorum conditoribus, FORCELLINIUM adfirmare, elegum *semper* plura-

Quae de pentametro monuit diligentissimus ac religiosissimus rei metricae scriptor et auctor, qui metrorum et praecepta tradit et exempla simul proponit, cum ad infinitam prope versuum varietatem persequendam eosdem adhibeat numeros, de quibus agit, ea pertinent a versu 1721

---

liter usurpari, GEORGESUM autem ne minimam quidem huius verbi mentionem facere) dicitur ad significandum modo pentametrum elegiacum, modo distichon ipsum (nam huius esse pentametrum partem propriam et praecipuam vidimus), modo per synecdochen carmen ipsum elegiacum. Cfr. Atil. Fortun. p. 291, 18: «hic (i. e. pentameter epodicus) et *elegus* vocatur cett.»; Diom. p. 503, 20: «non tantum geminum comma, id est *elegus* cett.». Totum distichon nominat *elegum* Mar. Victor. p. 113, 15; 114, 3; 114, 6; cfr. *elegeum* (*elegeion*) apud Ausonium epigr. XCVII, 2 (ed. Sch.), qui etiam plurali numero *elegea* dicit disticha elegiaca vel elegiam *Parent.* 31, 1 seq.: «.... accipe questus, — debent quos cineri maesta elegea tuo»; Mar. Victor. p. 110, 19: «alii παρὰ τὸ εὖ λέγειν *elegos* dictos arbitrantur»; Beda p. 243,7: «*elegios* (al. *elegos*) miseros appellant philosophi cett.», ubi intellegendum *elegiacum carmen*; cfr. p. 243, 6. Terent. Maur. v. 1799: «Hos *elegos* dixere cett.». Apud alios scriptores et poetas: Tac. dial. de Oratt. X: «*elegorum lascivias* cett.»; Plin. Ep. VII, 4, 3: «Latinos *elegos*.... feci»; ib. 7 «transii ad *elegos*»; Iuven. I, 3 seq.: «...ille togatas,—hic *elegos*?»; Horat. Carm. I, 33, 2 seq.: «neu miserabiles — decantes *elegos* cett.»; Ep. II, 2, 91: «carmina compono, hic *elegos* cett.»; II, 3, 77: «exiguos *elegos* cett.»; Domit. Mars. (in *Fragm. Poett. Rom.* ed. BAEHRENS. p. 348): «.... *elegis* molles qui fleret amores cett.»; Mart. Epigr. II, 20, 6: «lascivus *elegis* cett.»; Apoll. Sidon. Epist. IX, 16, v. 34: «*elegos* frequenter cett.»; cfr. Carm. XXIII, 24: «per quinos *elegi* (eligi) pedes ferebant»; Epist. VIII, 11, ad Lupum (p. 141, 5): «faciebat.... *elegos* nunc echoicos, nunc recurrentes, nunc per anadiplosin fine principiisque conexos». Plura exempla apud poetas elegiacos aliosque, maxime vero apud Ovidium, omittimus, ne satietatem pariamus et quia horum nonnulla alio loco adferentur. Ad carmen ipsum significandum longe frequentissime *elegia* (= ἐλεγεία) reperitur, quae vox multo rarius scribitur etiam *elegea* vel *elegeïa*. Denique ex *elegio* deminuta sunt apud Persium I, 51 *elegidia* et apud Petronium 109, 13 (ed. BUECH.) *elegidarium*. Apud vero grammaticos reique metricae scriptores nomina adiectiva reperiuntur quae sunt *elegiacus* non uno loco et *elegiarius* semel apud *Auct.* (Censorin.?) *fragm. de mus.* p. 607, 2 (Vol. VI, ed. K.): «elegiarii (poetae) Callinus, Mimnermus, Euenus cett.».

ad versum 1800 (in libello vere πολυμετροτάτῳ, quem supra indicavi *de litteris* cett. p. 376 seqq. Vol. VI, ed. K.). Quo in loco primum est sermo de pentametri inventore ac principe (vv. 1721–1722), deinde de eius compositione (vv. 1723–1752), tum de scansione et de aliis rebus quae in pentametro sunt observanda (vv. 1753–1798), denique de elegiae natura ac nominis origine (vv. 1799–1800). Quorum nonnulla in medio ponam:

> Pentametrum dubitant quis primus finxerit auctor:
> quidam non dubitant dicere Callinoum.
> hexametro cum quinque pedum subiungitur iste,
> partes heroi dupliciter recipit,
> quas penthemimeris possit disiungere forma:
> has si quis geminet, pentametrum faciet.

Cum vero in altera tome meri dactyli sint necesse sit, in priore autem dactylos et spondeos vel puros vel inter se varie permutatos nullo discrimine admittat pentameter, haec copiosiore sermone exemplisque uniuscuiusque rei adlatis exponit Terentianus. Porro de duplici pedibus pentametri caedendi ratione locutus, alia verbose persequitur, de quibus suo loco dicemus, totumque locum his verbis concludit:

> Hos elegos dixere, solet quod clausula talis
> tristibus, ut tradunt, aptior esse modis.

Versum pentametrum breviter tangit Marius Plotius Sacerdos (saec. p. Chr. n. III exeunt.) in *Art. Gramm.* l. III (*de metris*), p. 509, 12 seq. (Vol. VI, ed. K.), qui et ipse pentametrum ab hexametro deducit variaque «exempla schematum metri elegiaci» indicat; alteram

vero caesuram (i. e. alterum hemistichium) appellat: « penthemimericam dactylicam monoschematistam », cum semper duos dactylos habeat; ubi de priore loquebatur, est lacuna, quam sic fere suppleri iubet Keilius « .... prima (rectius « prior », inquam) igitur caesura penthemimerica quattuor schemata habet », quam ego concinnitatis causa orationis appellaverim *tetraschematistam*, nam habet « aut duos dactylos, ut est... , aut duos spondeos, ut est...., aut dactylum et spondeum, ut est...., aut spondeum et dactylum, ut est.... ». Postremo de vocabuli origine et de incerto metri elegiaci auctore pauca monet.

Pergamus ad C. Marium Victorinum ceterosque. Is grammaticus (saec. p. Chr. n. IV ineunt.) sic aggreditur versum pentametrum tractare: « Considerantibus nobis, quot ex dactylico heroo per singulos prototyporum canonas metrorum species procreentur, manifesta ratione reperio primam eius veluti subolem a pentametro versu coepisse. unde consequenti ratione initium suscepti operis [de versu pentametro] ab eodem ordiemur cett. » Deinde incertum metri elegiaci inventorem leviter attingit et copiose de pentametri forma ac metiendi ratione disserit. (*Art. gramm.* l. III, p. 107, 5 seqq.; cfr. *de enuntiatione pent. eleg.* p. 112, 20; *de recipr. vers.* p. 113, 15; 114, 3; praeterea l. I, p. 57, 5; Vol. VI, ed. K.).

Atilius Fortunatianus, qui temporibus aequalis fere fuit Marii Victorini, de « metris originalibus » locutus, ut perspiciatur « quanta horum permixtione metra aut facta sint aut fieri adhuc possint », orditur a « pentametro epodico », quem « a dactylico natum » dicit, cuiusque duplicem divisionem tradit. Deinde explicatur ab eo utrumque penthemimeres (= πενθημιμερές), hoc est, pentametri hemisti-

chium [1], «quasi τῶν πέντε τὸ ἥμισυ», itaque rem absolvit et concludit: «hic et elegus vocatur, quando per vices heroo subiungitur nec seorsum ac solitarium carmen facere potest» (*Ars*, c. 16; p. 291, 6, Vol. VI, ed. K.).

Diomedes, qui Mario Victorino paullo posterior medio fere saeculo quarto post Chr. n. floruit, cum de elegia, quam dixit «carmen compositum hexametro versu pentametroque alternis in vicem positis», generatim scripsisset (*Art. gramm.* l. III, p. 484, 17 seq., Vol. I, ed. K.), «elegium pentametrum» singillatim tractavit *ibid.* p. 502,30 seq. sic orsus: «Elegium metrum binis versibus constat, hexametro heroo et ei subiuncto quinario. prior pedes heroi recipit, posterior pentameter, id est quinarius, scanditur duabus semiquinariis cett.». Quae sequuntur (cfr. etiam p. 507, 1) sunt de duplici pentametri metiendi ratione de aliisque rebus, quae in pentametro animadvertenda sunt quaeque, ut in Terentiani et Victorini locis fecimus atque in ceteris faciemus, nunc differimus et praesens in tempus omittimus, ut suum singula quaeque locum teneant.

Restat ut quae a duobus, qui reliqui sunt, rei me-

---

[1]) Equidem miror, FORCELLINIUM et GEORGESUM hoc tantum indicare, vocem quae est «penthemimeres» feminini generis esse, cum audiatur *tome* (τομὴ πενθημιμερής; hanc latine dixeris semiquinariam insectionem vel caesuram), atque id silentio praeterire, hoc vocabulum generis etiam neutri (mente enim facile suppleri potest «hemistichium») apud grammaticos metricosque inveniri, ut apud Mar. Victor. p. 170, 32; 173, 6; 183, 5; 183, 8 et Atil. Fortun. p. 291, 15; 296, 3; cfr. Terent. Maur. v. 1673 seq.: «hoc πενθημιμερές medium de quinque vocatur: — hanc et tomen dixere». Praeterea GEORGESUS duo casus (nom. et accus.) huic verbo adsignat, cum contra etiam per ablativum casum num. sing. vel per *e* vel per *i* et accusativum gen. neutr. num. plur. per *e* locc. adl. aliisque efferatur. Casus vero genetivus *penthemimeris* uno, quod sciam, confirmatur exemplo apud Terent. Maur., v. 1725.

tricae scriptoribus, Flavio Mallio Theodoro (saec. IV–V p. Chr. n.) et Beda (vel Baeda; saec. VII–VIII; cfr. Teuffel. *Geschichte* cett. Vol. II, § 500, 3, pag. 1305) de pentametro traduntur, in medium proferamus. Quorum prior non plura quam haec breviter docet (*de Metr.*, cap. IV *de metro dactyl.*, p. 590, 2, Vol. VI, ed. K.): «Metrum dactylicum pentametrum recipit pedes hos (i. e. hexametri), spondium loco primo et secundo, dactylum locis omnibus, catalecton in medio et in fine. huius exemplum cett.» Alter vero fusius ille quidem et magna exemplorum copia adlata «metrum dactylicum hexametrum vel pentametrum» persecutus est in libello qui inscribitur *de arte metrica* (p. 242, 9 seqq., Vol. VII, ed. K.). Haec autem (quae, ut cetera, maximam partem ex antiquis fontibus hausta sunt; cfr. Teuffel. loc. nuper adlato p. 1305) de pentametro docet: «Huic (i. e. hexametro) cognatum est et quasi familiariter adhaerens, ita ut sine ipsius praesidio numquam id positum viderim, metrum dactylicum pentametrum, quod recipit spondeum loco primo et secundo, cett.» (ut apud Mallium). Porro pergit de duplici pentametri pedibus enuntiandi ratione disserere, exemplis a poetis Christianorum depromptis. Hoc autem est praecipue considerandum, Bedam primum, quod sciam, legem illam pentametri, in qua consuetudo optimorum poetarum Latinorum numquam fere mentita est, animadvertisse et adnotasse, qua sancitur «nequid umquam de sensu versus pentametri remaneat inexplicatum, quod insequente versu hexametro reddatur, sed vel uterque sensibus suis terminetur versus...., vel sibi mutuo prior hexameter ac pentameter subsequens, prout poetae placuerit, conserantur..... nam sequentes versiculi (i. e. post exemplum a

Beda adlatum, quod hic omisimus), etsi his sunt subiuncti, sibimet sunt tamen invicem *coniuncti* et secundus primo dat supplementum cett.» [1] (p. 243, 11), cum contra in hexametro carmine «concatenatio versuum plurimorum soleat esse gratissima» (p. 243, 26). Magni etiam sunt ponderis quae de hexametri ac pentametri conformatione et quasi structura praecipit (p. 244 seq.): sed et haec et quae proxime attuli vel locc. adlatis omisi, digna sunt quae uberioribus ac subtilioribus verbis alio eoque opportuniore loco tractentur.

Praeterea cum de disticho elegiaco generatim tum de pentametro nominatim cfr. etiam [Serg.] *Explan. in Donat.* l. I, p. 524, 3, Vol. IV, ed. K.; Serv. *de cent. metr.* c. IX, p. 465, 19; [Censor.] *Fragm. de metr.* p. 612, 11 et p. 616, 12, Vol. VI, ed. K.; Fragmenta Bobiensia *de versibus* p. 624, 2, Vol. VI, ed. K.; Fragm. Sangallensia *de trim. et pentam.* p. 638, 15, p. 639, 14, Vol. VI, ed. K.; Excerpt. cod. Bern. 16 (in *Anecd. Helvet.* ed. Herm. Hagen. Gramm. latt. suppl. Lips. 1870) p. XLV, 12.

Quae denique etiam Graecorum scriptores metrici de metro elegiaco tradiderunt, eorum pretium esse operae videtur locos indicare. Atque in primis memorandus est Aristides Quintilianus (saec. circiter II ineunt. p. Chr. n.), qui in commentario de metris, qui inscribitur περὶ μουσικῆς p. 51–52 (p. VIII, ed. Caes.) pauca, quae supra attuli, de «ἐλεγείῳ» monuit. Qua in re quoque nihil novi neque quod magni sit momenti docet Draco Stratonicensis

1) Hanc legitimam distichi elegiaci conformandi conectendique rationem ante significasse videtur Atilius Fortunatianus, qui de epodis locutus, «in quibus versus secundus finiret sensum», haec subiunxerit: «ergo secundum haec *et elegia epodicum carmen*» l. adl. p. 295, 7.

(qui temporibus fere aequalis fuit Aristidi Quintiliano) in op. *de metr. poet.*, p. 161 seq. (ed. Herm.). Paullo copiosiora sed non multo graviora sunt quae «περὶ τοῦ μονοειδοῦς τοῦ καλουμένου ἐλεγείου» tradit Hephaestio (saec. p. Chr. n. II fere med.) in *Enchir. de metr.* 96 seq. (p. 52, 11 seq. ed. W.), qui cum de aliis rebus tum de legitima ac necessaria post tertiae sedis semipedem incisione locutus, versum Callimachi hac in re claudicantem memorat. Cfr. praeterea Σχόλια B περὶ δακτ. c. VII, p. 171, 28 seq. et Σχόλια A περί ἀσυν. c. 15, p. 207, 8; Isaak Monach. p. 186; Elias p. 79 seq.

Quae cum universe de disticho elegiaco ac de pentametro praefati simus, ad singula quaeque transeamus neve, ut res plane enucleateque, quantum in nobis est, absolvatur, ea omittamus, quae nota quidem sunt aut magis pervulgata videntur.

III.

Cum pentametrum ex duobus colis seu membris constare plerosque grammaticos reique metricae scriptores recte statuere cernamus, inter quae etiam longam vocis intermissionem ac moram fieri necesse esse, illud mirabile videri non debet nonnullos fuisse, qui legitimum esse pentametrum dicerent, cuius prioris penthemimeris semipes syllaba esset correpta, quae cum arsis tum caesurae vi produceretur (quamquam natura ipsa pentametri, qui duabus τριποδίαις dactylicis catalecticis efficitur, id requirere videtur, ut haec duo membra eodem modo ad unum coniungantur corpus, i. e. versum, atque ita coalescant, ut

duo hexametri ordines qui ex caesura gignuntur [1]). Cuius rei apertum est testimonium apud Diomedem p. 503, 13: « alii vero, quia duo commata esse dixerunt, voluerunt brevem esse et prioris tomes semipedem, quia novissima semper indifferens est, atque hoc utuntur exemplo: 'hoc mihi tam grande munus habere datur' ». Cfr. quae ibidem paullo supra scripta leguntur: « Et si memorati pedis (i. e. spondei tertiae regionis) brevem priorem syllabam pro longa positam inveneris, quod raro fit, ne te moveat. potest enim esse communis, *quia pars orationis finitur* ». Quae eadem iam ante monuerant et Terentianus Maurus vv. 1777 seqq.:

Quidam, quia gemino constat de commate versus,
cludere comma prius non timuere brevi,
ut sit pentameter talis, qualem modo fingo,
h o c m i h i t a m g r a n d e m u n u s h a b e r e d a t u r,
aut qualis supra (v. 1770) versus peccare videtur,
si fiet talis, 'i n c i p e M a e n a l i o s.
nam referre nihil, sit qualis syllaba fini [2],
commataque hoc ipsum iuris habere volunt,

et Marius Victorinus p. 110, 10, qui cum de ineptissima pentametri divisione scripserit, qua in gressione tertia spondeus ponitur, sic pergit: « Observabis autem ne no-

---

[1]) Attamen in hexametro, ut in aliis versuum generibus, quae res est omnibus nota, nonnumquam fit ut cum in aliis versus regionibus tum maxime in caesura non solum syllaba anceps sed etiam hiatus admittatur.

[2]) Hoc loco alii legendum esse censent «sit quali syllaba fini»: hoc etiam conici potest: «sit qualis syllaba finis». quamquam ea quae sunt apud Mar. Victor. pag. 110, 14 lectioni quam recepit KEILIUS favere videntur.

vissima syllaba prioris coli, quae post duos pedes semipes residet, brevis sit, ne pro spondeo tertius iambus obrepat, qui huius legis rationem subruat; quamvis quidam, quod ex gemina tome videatur versus iste subsistere, non sint deterriti quin brevi syllaba prius colon concluderent adfirmantes nihil interesse, cuius modi in fine sit syllaba, idque ipsum iuris ac legis commata retinere voluerunt, quod in omni metro et in quocumque versu catholice praeceptum est». Cfr. etiam Aristid. *de mus.* l. adl. p. 52; Elias p. 79 aliique, quos longum est enumerare.

Sed legem hanc pentametri, qua statuitur ut duo versus commata seu membra quasi per synaphiam inter se cohaereant neque ea de re, ut est in metris asynartetis [1], hiatum aut syllabam ancipitem admittant, numquam, quantum scio, poetae Romanorum elegiaci migraverunt; quamquam id nonnumquam ab elegiarum scriptoribus factum esse ex apertis Terentiani, Diomedis, Victorini testimoniis conficitur. Quibus cum fidem abrogari non liceat, equidem suspicor, grammaticos illos aut de versibus quibusdam cogitare, qui aetatem non tulerunt, aut Graecorum elegiacos intellegere, qui, ut neminem fugit, maiore sane libertate, paene dixerim licentia, quam Romani non solum in distichis sed in cuiusvis generis versibus

---

[1]) Pentameter enim in συνάρτητα (σύνθητα) seu conexa metra referendus est, quamquam veteres, apud quos huius generis metri significatio latius patet quam apud recentiores, in ἀσυναρτήτους στίχους hunc versum nonnumquam rettulerunt (cfr. Fr. Zambaldius. *Metrica* cett. p. 122 seq.; Guil. Christius. *Metrik* cett. p. 126 seq.; God. Hermann. *Elementa* cett. p. 356 seq.), ut Hephaestio, qui de «ἐλεγείῳ» agit in capite quod est περὶ ἀσυναρτήτων l. adl. pag. 47, 6 et p. 52, 11, ed. W. Cfr. etiam Mar. Victor. p. 106, 36 seq.

pangendis usi sunt [1]. Cuius rei unum exemplum adferam ex Theognidis elegiis v. 2: «*λήσομαι ἀρχόμενος οὐδ' ἀποπαυόμενος*» (Anth. lyr. ed. Th. Bergk.): alia eaque multo plura apud Santenium (Terent. M. ed. cett. p. 292) [2]. Sed in poetis latinis, qui tamquam in ordinem poetarum elegiacorum venire possint, nullum prorsus huius aut id genus licentiae exemplum reperias; nam locos illos, quos adfert Santenius l. adl. p. 291 seqq., qui perpetuae optimorum poetarum consuetudini repugnare videantur, aut perperam ab eo apponuntur aut aliquo scripturae vitio laborantes iam pridem omnes ad unum sanati sunt. Nam, ut unum alterumve locum exempli causa ponam, quod Santenius adfert ex Catull. LXVII, 44: « Speret, nec linguam esse, nec auriculam » sic scribendum est: « Speraret nec linguam esse nec auriculam »: elisionem autem, de qua infra monebimus, caesurae non obstare satis est notum. Porro eiusdem Catulli versum, qualis est apud Santenium l. adl.: « Perspecta est igitur unica amicitia », sic legi iubet L. Muellerus Lachmannum secutus: « Per facta exhibitast unica amicitia » (C, 6); apud vero Tib. I, 4, 44 pro: « Venturam admittat imbrifer arcus aquam », legendum: « Venturam admittat nimbifer Eurus aquam » ; alia quae adfert Santenius omittimus, nam « cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem delassare

---

[1]) Graeci enim, ut metrorum inventores et quasi architecti, multa sibi indulgere ac sumere poterant, quae Romanis, ut imitatoribus, fugienda erant; praeterea idcirco quod apud Graecos cantus et modi musici carminibus iuncti erant, facile intellegitur, ex ea nimirum re poetarum Graecorum libertatis ac licentiae causam ex parte repetendam esse, cum contra apud Romanos, qui carmina recitabant, haec ipsa severioribus legibus astringi oportuerit.

[2]) Cfr. etiam Arn. Langen. *De dist. Graec. eleg.* Vratisl. 1868, qui de hac re alia profert exempla, p. 11 seqq.: sed locos sanare studet. Cfr. etiam p. 39 seq.

valent Fabium», hoc tantum iterum monuisse contenti, hos locos non eos esse ut regulam illam constantem perpetuamque de prioris hemistichii syllaba semipedis longa infirment ac tollant, cum aut depravati sint aut ad rem non faciant, velut cum Santenius Ovidii versum adfert: «Et longo periit arida facta situ» Trist. III, 14, 36 (item in prioris hemistichii fine Rem. Am. 6: *rediit;* ex Pont. I, 3, 74: *adiit;* I, 4, 46: *subiit;* Art. Am. III, 64: *praeteriit* cett.); nam ignorare videtur vir ceterum doctissimus et diligentissimus, syllabam *it*, quae ab *ivit* flectitur, in verbis quae sunt *ire* et *petere* atque in horum compositis, longam sine ulla fere exceptione (cfr. Verg. Aen. II, 497: «Exiit oppositosque evicit cett.»), et haberi et esse.

In illius modi etiam pentametri exemplum, quod finxit (cfr. v. 1779) Terentianus Maurus aliique commemorant: «Hoc mihi tam grande munus habere datur» (quod est exemplum syllabae brevis et eiusdem, ut dicitur, *apertae* in novissima prioris hemistichii sede, cum hucusque exempla syllabae brevis quidem sed consona conclusae persecuti simus), numquam incidimus apud scriptores latinos: nam hic quoque ea quae libri vel manu scripti vel typis descripti nonnumquam perperam exhibent, optime nunc sanata ac restituta sunt. Santenius (p. 297) huc quoque refert, sed, ut cuique in promptu, parvi est momenti, inscriptionem Saguntinam apud Lud. Muratorium T. II, p. 773, v. 4: «Cum sit perpetua fama futura viri»: cui loco sanando facilem adhibuerimus medicinam si pro *perpetua* legerimus *perpetuo.* [1]

---

[1]) Hunc quoque pentametrum perperam, ut Muratorius, edidit Bonada Vol. I. Cl. IV, p. 341; cfr. Burm. *Anth.* cett. L. IV, n. 278, T. II.

Duarum syllabarum elisionem vel synalipham in prioris hemistichii fine et in posterioris initio non esse impedimento quin binae pentametri partes caesura distinctae habeantur (neque id in pentametro solum, sed etiam in hexametro aliisque versuum generibus), et iam nuper monuimus et ii, qui de re metrica scripserunt, docent [1] et certa poetarum exempla confirmant. Id tamen fit perraro apud poetas Romanorum, ut apud Catullum, LXVIII, 90: «Troia virum et virtutum omnium acerba cinis» aliisque locis, quos cum alii tum Franc. Zambaldius indicavit l. adl. p. 247. Eiusdem autem Catulli iam supra attulimus: «Speraret nec linguam esse nec auriculam». Qua quoque in re minus diligentes ac religiosi quam Romani fuerunt Graeci: hi enim saepius non dubitarunt huiusmodi uti licentia; apud vero poetas Romanorum eos, qui severiores versuum pangendorum leges secuti sunt, quo in numero habendi Tibullus et Ovidius, nusquam in id genus versibus offendimus. Contra apud Propertium, I, 5, 31 seq.: «Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle, — Quaerere: non impune illa rogata venit». Atque in epigrammatis iam ante Catullum cfr. apud Lucilium, XXII, 1 seq., p. 76, ed. M.:

Servo' neque infidus domino neque inutili' quoiquam,
Lucili columella, hic situ' Metrophanes.

Cuiusmodi versus, Lucilii epigrammate memorato ob-

---

p. 215 (Amst. 1773), qui haec animadvertit: «Existimabant.... plurimi et praesertim Itali mediae aetatis, *posthabitis veterum exemplis,* hac sede pentametri sine discrimine admitti posse syllabam brevem, *qua et suos et antiquorum poetarum versus saepe corruperunt*».

[1]) De qua re primus, quod sciam, monuit Rich. Bentleius ad Horat. Carm. IV, 8, 17. Cfr. etiam Hermann. *Elementa* cett. l. I, c. VIII, 5, p. 55; l. II, c. XXVIII, 3, p. 357 et alii.

soletisque veterum poetarum verbis adlatis, perstringit Martialis XI, 90, quippe non «*molli limite currant*», sed «*per salebras altaque saxa cadant*» [1].

Quod si inter pentametri hemistichia elisionem fieri nonnumquam licet (quamquam hoc laudi non datur), id Romanorum poetae elegiaci maximo studio caverunt, ne cum prioris hemistichii fine finis quoque verbi non congrueret: quod nisi id fieret, pentameter claudicaret, cum caesura legitima careret. In omnibus autem, quotquot sunt, distichis elegiacis ne unum quidem reperias apud Romanorum scriptores exemplum, quod legi illi certae ac definitae adversetur: nam quae contraria exempla adferunt grammatici metricique, ea docendi causa ficta videntur: velut apud Terentianum, v. 1785 seqq.:

> Idcirco et verbo numquam uno cola ligari (*sc.* volunt),
> ut constet parti finis utrique suus.
> nam vitiosus erit sic pentameter generatus,
> i n t e r n o s t r o s g e n t i l i s o b e r r a t e q u u s.

Hoc idem exemplum ponunt Diomedes p. 503, 19 [2] et Augustinus *de mus.* IV, 14, 19, qui tamen verba pentametri ita disponit ut versus recte cadat («gentiles no-

---

[1]) Cfr. quae ad hoc epigramma Martialis adnotavit LUD. FRIELLAENDER. in M. Val. Mart. epigr. edit. Leipz. 1886, Vol. II, p. 207 seq. Nescio quo pacto aut quo elegantiae iudicio commoti TURNEBUS ad Quint. IX, 4, p. 860 *b* et BROUKHUSIUS ad Prop. III, 21, 10 istiusmodi versus pentametros molles tenerosque dixerint (cfr. «propertiana venus» apud BROUKH. ad loc. adl.): multo rectius iudicasse VOSSIUM in *Prosod.*, p. 157, omnibus videri oportet, qui *duros* eos appellaverit.

[2]) Ita KEILIUS; apud vero PUTSCHIUM p. 502, 41, quem sequitur SANTENIUS (p. 301) et GAISFORDIUS (p. 478), alius versus, sed eodem modo conformatus legitur, quem, ut est auctor KEILIUS ad Diom. 503, 19, substituit BUSCHIUS: «haec nostrae quoque sententia mentis erat».

stros inter oberrat equus »; cfr. etiam Terent. Maur. v. 1796), et hoc exemplo utitur ut « post quinque syllabas longas moram duorum temporum sileri » intellegatur.

Alia exempla sed eodem modo conflata in medio proponit Mar. Victorinus p. 112, 23: sunt autem tria, quorum primum graecum est:

ἡμεῖς δ' εἰς Ἕλλης πόντον ἀπεπλέομεν,

cui haec subiungit: « nam si coniunctim Ἑλλήσποντον enuntiarimus, effugerit aurium sensum, ut nequaquam versus esse credatur ». Deinde pergit: « Unde pentametrus duobus pedibus et semipede colon terminare debet, ut qui audierit, antequam percutiat, versum intellegat, velut

'labitur hinc Helles, pontus in Oceanum'.

item

'venerunt inter, Iunia sancta polo,

nam si per se dicas 'inter' et per se 'Iunia' media subdistinctione interposita, recipiet formam elegiaci ».

Apud vero poetas Graecos duo memorantur (aut summum tres, si versum graecum, quem modo attuli, poetae nescio cuius esse malueris quam a Victorino ipso conformatum) huius generis loci, quorum alterum ex Callimachi carminibus servavit Hephaestio l. adl. p. 53, 17; « *ἱερὰ νῦν δὲ Διοσκουρίδεω γενεή* » [1], alterum vero reperias apud Euripidem in Cyclopis choro (v. 74): « *ὦ φίλος, ὦ φίλε*

[1]) Hunc pentametrum in Latinum vertens simili modo confinxit Vossius l. adl. § 14, p. 148: « Sacrum iamque Dioscuridis hoc genus est ».

Βακχεῖε, ποῖ οἰοπολεῖς»: quo in versu difficilius licentiae venia datur quam in versibus ab Hephaestione et Victorino adlatis, in quibus nomina propria, ut dicuntur, et ea composita magnam habent excusationem [1].

Carmina compluribus atque iis perpetuis pentametris contexta nequaquam reperiuntur apud optimos Romanorum poetas; nam qui versus olim inter carmina Vergiliana tradebantur:

Hos ego versiculos feci: tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

(Anth. Vett. Latt. Epp. et Poem. II, n. 69 ed. Burm.; I, n. 88 ed. Burm.—Meyer),

hi versus, inquam, ex Aelii Donati Vita Vergiliana a librariis miserrime interpolando corrupta atque adulterata [2], deprompti, iampridem a Vergilio abiudicati sunt, nisi forte vere Vergiliani sunt habendi hexameter *Hos ego* cett. et pentameter *Sic vos non vobis mellificatis apes*. Cfr. *Poett. Latt. Min.* IV, p. 156, ed. Baehrens. et *Anth. Lat.* I, 1, n. 257, p. 179, ed. Riese.

---

[1]) Qua nominum propriorum compositorumque excusatione alia, quae sibi permiserunt poetae Graecorum elegiaci, defendit LANGENUS l. adl. p. 2 seqq.: ut, praeter unum apud Callimachum episynaliphes exemplum, verborum traiectiones, quae quidem et id genus alia frustra quaeruntur apud elegiac latinae scriptores.

[2]) Cfr. TEUFFEL. *Geschichte* cett. I, § 224, 1, pag. 481 seq.: «sie (Donat's vita Vergilii).... ist verfälscht durch Zusätze aus dem Commentar des Servius und namentlich durch allerlei widersinnige mittelalterliche Erfindungen, die in den späteren Handschriften dem ursprünglichen Texte angefügt sind». De qua re alii sunt consulendi, quos laudat TEUFFELIUS, ut REIFFERSCHEIDIUS, *Suet.* p. 399; HAGENUS, *Jarbb. für Phil.* cett. Suppl. Bd. 4, 676; BECKIUS, *Jahrbb.* cett. 133, 502.

In inferioris autem aetatis scriptoribus pentametri complures κατὰ στίχον usurpati nonnumquam reperiuntur. Cuius generis duo, quae quidem noverim, exstant exempla: unum apud D. Magnum Ausonium (?) – saec. IV p. Chr. n. –, alterum apud Martianum Capellam – circ. ante med. saec. V – [1]; quorum prior haec exhibet in *Sententiis Anacharsis Scythae*:

Turpe quid ausurus te sine teste time.
vita perit, meriti gloria non moritur.
quod facturus eris, dicere distuleris.
crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
nil nimium. satis hoc, ne sit et hoc nimium.
cum vere obiurgas, sic inimice iuvas:
cum falso laudas, tunc et amice noces [2];

alter vero in lib. de Nupt. Phil. et Merc. IX, 907 (de mus.) ed. Eyss., p. 339, viginti et octo pentametros continuos praebet:

nam Thrax quo duri rumpere regna Erebi
quoque suam meruit [3] inmemor Eurydicen,

---

[1]) Qui quidem scriptores «venustarum metricarum», ut ait Luc. Muellerus *de re metr.* cett. p. 105, «haud sane ampli fuere iudices».

[2]) *D. Magni Aus. Opusc.* rec. C. Schenkl. T. V p. post. *Monum. Germ. Histor.* Berol. 1883. Append. III, p. 249 seq., vv. 43 seqq. Ab aliis viris doctis (ut a Christio, *Metrik* cett. p. 211 et a Zambaldio, *Metrica* cett. p. 253) et in ceteris fere Ausonii editionibus adferuntur versus hi in Thaletis Milesii sententiis. Sed nunc plerique viri docti «sententias septem sapientum» Ausonii esse negant. Cfr. quos adfert Teuffelius. *Geschichte* cett. II. § 421, 2, i, p. 1066, qui aperte dicit: «die *sententiae*...... haben mit Ausonius nichts zu schaffen». In poett. latt. min. corpore, Vol. III, p. 159, ed. B., haec est inscriptio: «*Incerti septem sapientium sententiae septenis versibus explicatae*»; versus autem, quos exscripsi, in Anacharsis Scythae sententias, ut apud Schenkelium, a quo parce detorti ac mutati sunt, referuntur p. 162.

[3]) Quo in pentametro syllabae brevis licentia in extremo hemistichio priore animadvertenda est; cfr. paullo infra *permulsit*.

quo cantu stupidae tigridis ira ruit,
quo fertur rabidas perdomuisse feras,
quo vidit rigidas glandibus ire comas
Ismaros et silvas currere monte suas,
carmine quo Strymon continuit latices
et Tanais versis saepe reflatus aquis,
quo inpune accubuit rictibus agna lupi,
et lepus inmiti contulit ora cani —
hoc nunc permulsit insonuitque melo
adcumulansque magis carmina sacra Iovi.
Amphion rigido in corpore mentis iter
quoque dedit montes sumere posse animas,
quo sensus duris cautibus inseruit
et docuit rupes carmina velle sequi:
nam muros Thebis dulcisonis fidibus
praesidiumque dedit carminis arbitrio.
sed nec Arioniam marmora surda chelyn
tempsere, extremam cum flagitaret opem,
et licet indomiti dira procella noti
spumea Scyllaei verreret ima maris,
delphinas totis sollicitavit aquis,
et melicos cantus belua grata tulit,
o vere antistans numina magna deum,
quae istorum laudes protulit Harmonia,
quae domitare erebum marmora saxa feras
et potuit rupes sensificare tonis [1].

[1]) Quos Martiani Capellae pentametros (nam priores utrum Ausonii sint necne, non admodum convenit inter homines doctos) Bedam fugisse iure mireris, qui scripserit l. adl. p. 242, 26, se pentametrum *sine hexametri praesidio numquam positum* vidisse. Cfr. praeterea Atil. Fortun. l. adl. p. 291, 18: «hic (pentameter) et elegus vocatur, quando per vices heroo subiungitur, *nec seorsum ac solitarium carmen facere potest*». Sed immerito hac in re Atilium reprehendit Santenius l. adl. p. 306, cum non solum Atilius multo ante Capellam floruerit, sed Ausonius ipse illo aetate paullo posterior fuerit. Hisce addam pentametros

Alia mira in pentametro vel disticho usurpando ante hos protulerat Petronius (Satir. Berol. 1882, ed. B.), qui modo duobus hexametris pentametrum apponit, ut c. 34:

> eheu nos miseros, quam totus homuncio nil est.
> sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
> ergo vivamus, dum licet esse bene [1],

modo, ut c. 109, tria disticha elegiaca septem alius generis versibus praeponit, quod carmen *elegidarion* vocat.

Apud Graecos quoque pentameter admodum raro usurpatur aut ab hexametro disiunctus aut hexametro non subiunctus. Atque cum Graecos dico, antiquissimos intellego; nam quae multa universae pentametri distichique regulae ac rationi contraria exempla reperiuntur, haec prope omnia recentioris sunt aetatis.

Dionysium Atheniensem, cui cognomen fuit Chalcus (ὁ Χαλκοῦς) vel Aeneus (saec. circ. V a. Chr. n.), tradit Athenaeus XIII, p. 602 *c* (Vol. III, c. 78, p. 84, 26 seqq. ed. M.) «ἐν τοῖς ἐλεγείοις» hexametro praefixisse pentametrum («*προστάξαντα τοῦ ἑξαμέτρου τὸ πεντάμετρον*») illius instar oraculi Delphici:

---

in Commodum Antoninum Diadumenum (apud BURM., in *Anth.* cett. T. I, l. II, p. 240, n. XCIX; apud MEYER. in *Anth.* cett. T. I, p. 249, n. 795), qui a quodam poeta Graeco compositi, ut est auctor LAMPRIDIUS, a malo poeta in Latinum translati sunt: hos iterum totidem versibus in Graecum convertit CASAUBONUS (cfr. BURM. l. adl. et MEYER. in *Annott.* p. 202): «Commodus Herculeum nomen habere cupit, — Antoninorum non putat esse bonum. — Expers humani iuris et imperii, — Sperans quin etiam clarius esse deum, — Quam si sit princeps nominis egregii. — Non erit iste deus, nec tamen ullus homo». Hi versus in RIES. *Anth.* omissi sunt.

[1]) Post hexametrum priorem lacunae notam posuit MEYERUS in *Anth.* cett. I, p. 54, n. 153.

εὐδαίμων Χαρίτων καὶ Μελάνιππος ἔφυ,
θείας ἁγητῆρες ἐφαμερίοις φιλότατος [1].

In Aristotelis vero libro, qui inscribitur *Ἀθηναίων πολιτεία*, c. VII, duo pentametri continui leguntur:

Διφίλου Ἀνθεμίων τήνδ᾽ ἀνέθηκε θεοῖς,
θητικοῦ ἀντὶ τέλους ἱππάδ᾽ ἀμειψάμενος.

Cfr. etiam Polluc. VIII, 131, qui priorem versum ita exhibet: «*Διφίλου Ἀνθεμίων ἵππον τόνδ᾽ ἀνέθηκε θεοῖς*»: unde Bekkerus sic corrigi iubet: «*Διφίλου Ἀνθεμίων τόνδ᾽ ἵππον θεοῖς ἀνέθηκεν*»: quem secutus est Theod. Pregerus *Inscript. Graec. Metr.* cett., p. 62, n. 74 [2].

---

[1]) Hos versus attulerunt etiam Vossius l. adl. l. III, c. IX, p. 146 et Scaliger l. adl. l. III, c. XXV, p. 169 *b-c:* quos Vossius, eodem versuum ordine servato, sic in Latinum transtulit:

Ter felix Chariton et Melanippus erant,
Humano generi auctores caelestis amoris.

Welkerus autem l. adl. p. 440 de Dionysii elegiis locutus haec tradit: «Das grösste Interesse haben diese Ueberreste von der Seite, dass sie uns die Ausartung des Styls und der Kunst.... in einer Gattung zeigen, wo sie am meisten befremdet, in einer Zeit, wo ein reinerer Styl, frei von Unmass und gesuchter, frostiger Bildlichkeit, noch allgemein die Herrschaft behauptete. Dionysios lässt in der Hinsicht sich mit Mäcenas vergleichen». Cfr. Osann. l. adl. 3. «Dionysios der Eherne und seine Elegieen», pagg. 79-140.

[2]) Priorem distichi versum, quem genuinum putat Kenyon, virorum doctorum alii aliter sanare et ex pentametro hexametrum efficere conati sunt. Cfr., praeter alios, H. Van Herwerden et J. Van Leeuwen in Arist. libr. *de Rep. Athen.* edit. Lugd. Bat. 1891, p. 13 adn. 8: vix est enim credendum, titulum vetustissimum (saec. VI-V ante Chr. n.: haec appellat *ἀναθήματα τῶν ἀρχαίων* Aristoteles l. adl.) ex meris pentame-

Nudus vero pentameter, i. e. vel solus vel cum hexametro non copulatus, non modo a carminis elegiaci natura alienus, sed communi etiam sensui contrarius est nulloque pacto ferri potest: hunc nihil aliud nisi «absurdum

---

tris compositum esse. Quae vero eius aliusque generis exempla pentametri varie usurpati, quae in titulis leguntur, affert GEORGIUS KAIBELUS (*Epigr. Graec. ex lapidib. coll.* Berol. 1878; cfr. *Ind.* p. 701 seq.), ea omnia multo recentiorum temporum sunt, ut pentametri bini n. 326; 510; 605; pentam. singuli n. 1090; 1131; hexametro subiecti pentam. tres n. 113; hexam. duobus subiectus pentam. n. 52; 132 aliisque locis; hexam. duobus subiect. pentam. cum hexam. n. 835*b*; 986; hexam. duobus subiect. pent. duo n. 278; hex. duobus sub. pent. duo cum hex. n. 527; hex. duobus sub. pent. duo cum paroemiaco *add.* n. 459*a*; hex. duobus sub. pent. tres n. 74; 168; hex. tribus sub. pentameter n. 156; 309 aliisque locis; hex. tribus sub. pent. tres n. 933; hex. quattuor sub. pentameter n. 708; hex. quinque sub. pentameter n. 614; hex. sex sub. pentameter n. 610; hex. septem sub. pentameter n. 609; pentametro sub. hex. duo n. 715; disticho sub. senarius n. 641; 751; 886; disticho sub. pentameter cum hexam. n. 347; 785; disticho sub. pentameter cum senario n. 381; disticho sub. hexameter n. 34; 75 aliisque locis; disticho sub. hexam. duo n. 90 aliisque locis; disticho sub. hex. tres n. 277 aliisque locis. Praeterea hexametri pentametri disticha nullis legibus inter se commixta apud KAIB. l. adl. *ind.* p. 703. Cfr. etiam THEOD. PREGER. *Inscript. Gr. Metr. ex script. praeter Anthologiam coll.* Lips. 1891 (*ind.* p. 244): hexametro subiecti quinque pent. n. 95; hexametro subiectum distichum n. 116; duobus hex. subiecta duo dist. n. 98; disticho sub. hex. viginti n. 34; pentam. ab hex. seiunctus n. 257 (cfr. adn. ad h. ep. p. 205). Cfr. denique Anth. Palat. XIII, 15 (ἀδέσπ.); XV, 39 (cuiusdam Ignatii), ubi post duos hexametros et XIII, 16 (ἀδέσπ.), ubi post tres hexametros pentameter sequitur. Anth. autem XIII, 1 pentametri quattuor pentametro in quarta quoque et quinta sede spondaico concluduntur. Epigramma Philippi est. Cfr. etiam epigramma Heliod. Aethiop. (Anth. Palat. IX, 485), ex meris pentametris compositum, cuius primus et ultimus versus hic est: «Τὰν Θέτιν ἀείδω, χρυσοέθειρα Θέτιν». Etiam brevior sententia pentametro includebatur: cfr. AUG. BOECHK., qui *Corp. Inscr.* I, ad n. 12, p. 32, haec habet: «qui (pentametri singulares) etsi in priscis inscriptionibus *non sine exemplo sunt* (Pausan. V, 27), tamen cett.» De re universa cfr. CHRIST. l. adl. p. 211, qui scribit pentametrum ab hexametro divisum praesertim apud poetas scaenicos inveniri nonnumquam, quorum locos nonnullos indicat; ZAMBALD. l. adl. p. 253 et ib. adn. 2;

et ridiculum exciturum esse syllabarum strepitum», auctore Bernhardyo (*Suppl. Ephemm. Litt.* Hall. n. 113, p. 908), recte scribit Hertzbergius l. adl. p. 52. Quid? quod complures pentametri si continui ponantur, propter immutabilem caesurae sedem cito aurium sensum fastidiosissimum animosque satietate afficiant.

Quae vero constanti rectaeque pentametris utendi rationi repugnant, ea artis et aetatis senescentis ac labentis indicia esse apparet, cum scriptores ad veram metrorum tamquam naturam animos parum attendentes aut artis ignoratione aut vano puerilique rerum novarum studio ad argutias et ineptias omnisque generis ludibria nonnumquam delabuntur.

Ut omnia quae ad distichon generatim atque universe pertinent, absolvantur, (nam quae proprie in optimorum poetarum elegiacorum distichis observanda sunt, ea suo loco consectabimur), id non a re alienum videtur, veterum scriptorum locos ita colligere et sub uno tamquam aspectu ponere, ut versus elegiaci vel quibus appositis ornati vel nominibus significati sint, aperto pateat.

Atque illud in primis monendum, numquam fere saepius indicari numeros elegiacos quam verbis quibus dolor, maestitia, aegritudo denotatur (quod sane ad verbi notionem atque vim, qualem certe omnes fere ad unum veteres, nonnulli etiam ex iis qui nunc sunt, esse puta-

---

WESTPHAL. l. adl. p. 353. Eius autem generis exempla, quae modo indicavi, non pauca reperiri etiam in latinis maxime sepulcrorum inscriptionibus satis est notum ex epigrammatum anthologiis. Quae ipse ex Burmann.-Meyerana collegi, eorum locos exempli causa appono: n. 237. 806. 809. 1153. 1157. 1159. 1178. 1196. 1212. 1227. 1235. 1247. 1293. 1334. 1364. 1374. 1380. 1383. 1390. 1408. 1517. 1592. 1598.

runt, aptum accommodatumque videtur); de qua re cum iam op. adl. p. 20 seqq. satis, ut mihi videor, locutus sim, plura nunc dicere nolo. Cfr. etiam Santen. l. adl. p. 304 seqq. ad Ter. M. vv. 1799–1800. Hoc tantum addam, id mirum videri non oportere; nam, praeter quam quod, ut modo dixi, verbi, quod est elegia, vim rationemque ad vocem quandam dolorem significantem referebant veteres, etiam metrum elegiacum in epigrammatis seu carminibus funebribus, quae ἐπικήδεια vel ἐπιτύμβια graece vocabantur, saepissime adhibebatur, et elegiae genus frequentissimum ac celebratissimum fuit genus threneticum vel lugubre [1], in eoque, ne longus sim, ipso genere, quod Romani maxime factitarunt, in genere, dico, erotico vel amatorio, querimoniam non abesse consentaneum erat (quam rem breviter tetigi l. adl. p 108): quod Catullus definite planeque dicit LXVIII, 17 seq.: «Multa satis lusi: *non est dea nescia nostri, — Quae dulcem curis miscet amaritiem*». Et apud Ovid. (?) Her. XV, 7: «*Flendus amor meus est: elegeïa flebile carmen*». Cfr. etiam in praestantissimo Horatii carmine I, 33: «Albi *ne doleas* plus nimio memor — Immitis Glycerae, *neu miserabiles — Decantes elegos* cett.» (v. 1 seqq.) et in praeclaris Domitii Marsi distichis: «Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle, — Mors iuvenem campos misit ad Elysios, — *Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores* — Aut caneret forti regia bella pede» [2].

Porro cum pentametrum si cum hexametro, cui quasi

---

[1]) Cfr. Nic. Bach. *De lugubri Graecorum elegia. Spec. Prim.* Vratisl. 1835. p. 1 seqq.

[2]) *Fragm. poett. Rom.* cett. ed. Baehr. p. 348. Cfr. Boileau. *Art poét.* II, 41: «*Elle* (l'élégie) *peint des amans la joie et la tristesse*».

ἐπῳδός adhaeret, componatur, breviorem esse appareat et, hexametri granditate, ut ita dicam, deminuta ac vi fracta, metrum hinc fieri lenius ac remissius, facile intellegitur, multos locos inveniri apud scriptores, quibus haec quoque distichi elegiaci proprietas multis variisque modis significatur. Iam apud Graecos tenuem mollemque pentametri (quae est metri elegiaci pars gravissima ac peculiaris) *spiritum* dixit Hermesianax apud Atheneum, XIII, p. 597 *f* (Vol. III, c. 71, p. 76, v. 26 seq. ed. M.): «*Μίμνερμος δὲ τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο πολλὸν ἀνατλὰς — ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμα τὸ πενταμέτρου*». Sed audiamus Romanorum scriptores.

Pentametrum uno pede inferiorem esse hexametro et hoc metrum maioribus gravioribusque rebus, illud minoribus atque levioribus canendis aptum esse, sic poetarum more significat Ovidius Am. I, 1. 1 seqq.:

> Arma gravi numero violentaque bella parabam
>   Edere, materia conveniente modis:
> Par erat inferior versus. risisse Cupido
>   Dicitur atque unum surripuisse pedem.

Atque in extrema carminis parte:

> Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat:
>   Ferrea cum vestris bella valete modis.
> Cingere litorea flaventia tempora myrto,
>   Musa, per undenos emodulanda pedes.

Statius vero in epicedio in patrem suum (Silv. V, 3) poetas elegiacos compellat, quibus sit dulce «heroos gressu truncare tenores» v. 99; ut ante in epithalamio in Stel-

lam et Violantillam (Silv. I, 2) vv. 250 seqq. item poetas elegiacos adlocutus: «Vos», inquit,

.... qui nobile gressu
Extremo fraudatis opus (*al.* epos), date carmina festis
Digna toris cett.

Quod autem elegi exigui vel breves dicuntur, vel alio id genus nomine designantur, hoc equidem non ideo factum puto quod materiae rerumque ratio haberetur (hanc certe non causam praecipuam et gravissimam existimo), sed quia hexameter, quocum pentameter coniungebatur et comparabatur, hoc reapse versu longior exsistebat. Quid? quod *versus longus* eximio nomine hexameter intellegebatur. Sic enim vocasse Ennium versus hexametros, auctor est locupletissimus Cicero de Legg. II, 27, 68: «plus quattuor herois versibus, quos *longos* appellat Ennius» [1]. Cfr. praeterea Atil. Fortun. l. adl. p. 284, 6: «hunc (versum heroum) Ennius *longum* vocat cett.» et Isid. Origg. I, 38: «hexametros autem latinos primum fecisse Ennius traditur, eosque *longos* vocat». Atque apud Demetr. *de interpret.* c. 5: «*ἑξάμετρον ἡρῷον ὀνομάζεται ἀπὸ τοῦ μήκους*». Conferendi sunt etiam tres loci, quorum primus apud Ovi-

---

[1]) Neque immerito hexametros *longos* dixit Ennius. Namque si syllabarum, ex quibus hunc versum primo constare oportuit, numerum spectes, has septendecim esse reperias, cum contra in versu saturnio non plus quam tredecim et in omnium usitatissimis fabularum metris (trim. iamb. et tetram. troch.) non plus quam duodecim vel quindecim syllabas inesse (nativam intellego horum formam speciemque) appareat. Cfr. Luc. Muell. *Q. Ennius. Eine Einleitung* cett. p. 224: «Die Alten pflegen nämlich bei dergleichen Zählungen nur die ursprüngliche Zahl der Silben in Ansatz zu bringen, nicht die, welche sich durch Auflösung der Arsen.... ergeben kann».

dium est, secundus apud Gellium, apud Diomedem tertius, ex quibus apparet, hexametrum universo *versus longi* nomine indicari. Nam sic canit Ovidius Am. III, 1, 65 seq.: « Altera das nostro victurum nomen amori: — Ergo ades, et *longis versibus* adde brevis». (Cfr. Am III, 1, 8: « pes illi [elegeiae] *longior* alter erat»). Haec vero legimus in Gellii Noct. Att. (XVIII, 15, 1, ed. Hertz.): « In *longis versibus*, qui 'hexametri' vocantur cett.». Haec denique docet Diomedes p. 494, 30; « super quas appellationes (versus heroi senarii) etiam Latine *longus* [pes] dicitur.»

Ex qua hexametri proceritate eius quoque gravitatem effici et oriri, plane intellegimus; quemadmodum vero ad hanc metri heroi tamquam maiestatem praestantiamque significandam huius generis appositis utuntur scriptores, ut sunt *gravis* (« grave.... carmen» Prop. I, 9, 9; « gravi numero» Ovid. Am. I, 1, 1), *severus* (« severus herois» Mart. III, 20, 6), *fortis* (« forte epos» Horat. Serm. I, 10, 43), *nobilis* (« nobile.... epos» Ovid. Rem. Am. 396; Stat. Silv. I, 2, 250), *grandis* (« ausuros grandia» Ovid. Am. II, 18, 4), *crepans*, *cothurnatus*, *superbiens* (« hexametros crepantes et cothurnatos» Sid. Epist. VIII, 11 ad Lupum (p. 141, 5); « superbientes» Carm. XXIII, 22 ad Consent.) cett. [1], ita ad elegorum brevitatem, tenuita-

[1]) Aliorum scriptorum locos grammaticorumque testimonia praetereo, ne longum sit. Etiam apud Graecos in epitheta incidimus, quae huius generis sunt, velut apud Aristot. Art. Poet. XXIV, 9: « τὸ γὰρ ἡρωικὸν στασιμώτατον καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστίν»; Aristid. I. add. p. 51: « σεμνότερον.... γίνεται διά τε τὸ μέγεθος κτλ»; Procl. Chrest. I. add. p. 230: « .... διὰ τὴν κατασκευὴν καὶ τὴν ἄγαν ὑπεροχήν, τὴν ἐν τοῖς ἑξαμέτροις θεωρουμένην κτλ».

tem, mollitiem indicandam [1] sic fere loquuntur Romanorum scriptores: «*exiguos elegos*» Horat. Epist. II, 3, 77 (cfr. Paldam. Röm. Erot. cett. p. 41, adn. 48); «*blanditias elegosque leves*» Ovid. Am. II, 1, 21; «*leves elegi*» ex Pont. IV, 5, 1; «materia.... *numeris levioribus* apta» Am. I, 1, 19; «*molles elegi*» ex Pont. III, 4,85; cfr. Domit. Mars. epigr. supr. adl.; «*mollem.... versum*» Prop. I, 7, 19; «*mollis.... liber*» II, 1, 2 (ab Hermesianacte apud Athenaeum l. adl. Mimnermus dicitur invenisse «ἡδὺν.... ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμα τὸ πενταμέτρου»); «*carmina.... lenia*» Prop. I, 9, 12; «*carmen tenuastis....*» IV, (III), 1, 5 (cfr. v. 8 «exactus *tenui pumice* versus....»); «.... *angusto* versus includere *torno*» III (II), 32 (34), 43; «iungitur herous cum *breviore modo*» Ovid. Am. II, 17, 22; «et *pedibus vitium* causa decoris erat» III, 1, 10 [2]; «.... longis versibus adde *breves*» Am. III, 1, 66; «.... incipiatque *minor* (i. e. versus)» ex Pont. IV, 12, 8; «Et vestigia iuncta, sed *minora* (i. e. hexametris), — Per quinos elegi pedes ferebant» Apoll. Sid. Carm. XXIII, 23 ad Consent.; «*versibus impariter iunctis*» Ho-

---

[1]) Elegia enim ad genus illud quod Graeci ἰσχνόν dicebant et latine verteris *tenue*, referenda est. Cfr. Luc. Mueller. *De re metr.* cett. p. 136: «Quippe graves et severi cum tragicis et melicorum plerisque epici, remissi satirici et ut quisque humilia sectatus, *medii* didactici et *elegiaci*». Praeterea Fr. Schlegelius, quem laudat Hertzbergius l. adl. p. 53: «concitatiori animi motui odam, remissiori elegiam tribuit».

[2]) Non raro elegiam tamquam personam inducunt poetae et agentem fingunt. Cuius conformationis exemplum nobilissimum reperies apud Statium in epithalamio in Stellam et Violantillam (Silv. I, 2), vv. 7 seqq.: «quas inter vultu petulans Elegea propinquat cett.»; cfr. Ovid. Am. III, 1, 7 seqq.: «Venit odoratos Elegeia nexa capillos cett.» et III, 9, 3 seqq., ubi Ovidius Tibulli mortem lugens sic Elegiam adloquitur: «Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos cett.».

rat. Epist. II, 3, 75; «*imparibus.... numeris*» Ovid. Am. III, 1, 37 (cfr. I, 1, 3 seq.; ex Pont. IV, 16, 11); «*carminis* hoc ipsum *genus impar*» Am. II, 17, 21; «condita *disparibus numeris* (verba)» ex Pont. II, 5, 1; «.... *imparibus* vecta Thalea *rotis*» Art. Am. I, 264 (cfr. «*disparibus.... rotis*» ex Pont. III, 4, 86); «*imparibus.... modis*» Trist. II, 220; «.... *nec* vos (elegi) *pedibus* proceditis *aequis*» ex Pont. IV, 5, 3; «Aptaque in *alternos* cogere verba *pedes*» Trist. III, 7, 10 (cfr. «*alterno pectine*» Fast. II, 121; «*alternos.... pedes*» Trist. III, 1, 56; III, 7, 10; «*alterno.... versu*» Trist. III, 1, 11); «*Alternum* fultura (Elegia) *pedem*» Stat. Silv. I, 2, 9; cfr. denique Cic. pro Arch. X, 25: «*epigramma.... alternis versibus longiusculis*».

Cum vero longior sit hexameter et ad altiora quaeque os magna sonaturum deceant canenda aptior, spiritu, ut ita dicam, eget maiore quam pentameter, ad ipsam versus enuntiationem rerumque narrationem; quocirca pectus magnum et firmum poetis epicis, gracile et angustum elegiacis tribuitur. Cfr. Prop. II, 1, 39 seq.: «Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus — Intonet *angusto pectore* Callimachus»: cuius generis loci adeo sunt multi, ut taedeat plures proferre; de re universa cfr. Ant. Zingerle. *Ovidius und sein Verhältniss zu den vorg. und gleichz. Röm. Dicht.* Innsb. 1869-1871, I, p. 118 seq. et Hertzberg. l. adl. L. II, c. VII, p. 199 seq.

Denique cum mature factum sit ut poetae elegiaci imprimis Graecorum in omnibus fere elegiae generibus versarentur [1], sed (quod postea de Alexandrinis maxime

---

[1]) De qua re docui l. adl. p. 25 seqq.

et de Romanorum poetis intellegendum est) genus praesertim amatorium tractarent, quid mirum, aliis quoque verbis appositis (quae tamen a genere molli et tenui, de quo ante diximus, non multo differunt) hanc praecipuam elegiae tamquam notam exprimi atque indicari? Cuius rei exempla (ex scriptoribus latinis petita, cum de hisce sermo habendus sit) haec pauca in medio proponam: «*Imbelles elegi, genialis Musa...*» Ovid. Am. III, 15, 19; «*blanda... elegeïa*» Rem. Am. 379; «At tu finge *elegos, fallax opus*» Prop. V (IV), 1, 135; «*lascivus elegis*» Mart. III, 20, 6; «*elegia comis*» V, 30, 4; «*vultu petulans elegea*» Stat. Silv. I, 2, 7; «*elegos acutos*» Apoll. Sid. Ep. VIII, 4; «*elegorum lascivias*» Tac. Dial. de Oratt. c. X; «*elegia amoris*» Apul. Apol. p. 416, ed. Flor. (= Vol. II, p. 407 ed. Oudend.) [1].

Hactenus de universa distichi pentametrique latini ratione et natura: quae omnia, cum elegiae formam et compositionem quam diligentissime et accuratissime tractare nobis propositum sit, mirum quantum ad aliam et eam praecipuam disputationis nostrae partem, quam aggressuri sumus, conferunt, ad quam haec nimirum viam quasi aperire ac munire videntur. Nostrum enim institutum via et ratione persequentes distichon latinum quale in optimis elegiae scriptoribus esse videatur, considerare atque explicaro studebimus. Hanc vero disputationis meae partem ita instituere volo, ut quemadmodum de carminis natura ac materia locutus, maxime in Tibulli, Propertii, Ovidii elegiis commo-

---

[1]) Conferendi sunt de hac re BURMANNUS cum aliis locis tum ad Prop. I, 7, 19, p. 77, ed. SANT.; II, 25, 31, p. 467; III, 1, 5, p. 482; SANTENIUS l. adl. p. 310 seqq.; HERTZBERGIUS l. adl. p. 199 seq.

ratus sum, ita nunc distichorum formas, proprietates, genera, qualia apud elegiae Romanae tamquam triumviros atque antistites cernimus, proponere atque explorare coner. Sed cum poetarum optimus quisque quantum in arte sua profecerit ac praestiterit quantique sit aestimandus non recte intellegatur nisi eorum, qui ante fuerunt, prima pericula ac conata cognita et perspecta habeantur, cumque, quoniam de disticho elegiaco est disputatio, equidem credam exacturos plerosque ut id quoque adiungam operi quae fuerint, antequam ad absolutionem perfectionemque perveniretur, distichorum artisque metricae principia atque incrementa, hoc nunc est consilium, ut, vetustissimis elegorum monumentis ac testimoniis prolatis, Catulli arti metricae, qualis in eius carminibus elegiacis comparet, investigandae describendaeque paullisper insistamus.

IV.

In primis fere litterarum latinarum, ut ita dicam, incunabulis, cum iam exemplaria graeca Romanorum manibus versari coepta erant, duo praecipue carminum genera, ut de poesi scaenica taceam, tractata atque exculta sunt, genera dico epigrammaticum et eroticum vel amatorium: quod profecto mirum non est; nam cum iamtum florente Graecia tum praesertim consenescente ac delabente (Alexandrinorum aetatem intellego, de qua op. adl. p. 40 seqq. satis me disputavisse opinor) hisce poesis generibus sedulo operam dedisse scriptores Graecos, compertum exploratumque est: genera sane leviora, quae spiritus quidem divini vel poeticae facultatis venaeque non ita multum desiderant, in quibus cum facilius sit artem imitari quam naturam,

quia altera discitur, altera una cum homine nascitur, eius aetatis Romani non infelices Alexandrinorum imitatores exstiterunt. Hi vero poetae antiquiores «amasii ac venerii» (cfr. Gell. XIX, 9, 9), quos «νεωτέρους» (ad Att. VII, 2, 1) vel «poetas novos» (Orat. XLVIII, 161) appellat Cicero saepeque irridet, ut Tusc. III, 19, 45 [1], quanti faciendi sint, iudicare ipsi idcirco prohibemur quod nimium exiguae ac discerptae eorum carminum supersunt reliquiae: verum in hac re ex iis maxime aliquam coniecturam facere possumus, quae, paucis horum poetarum antiquiorum versibus servatis, monet Gellius N. A. libri XIX capite IX. Sed horum sive epigrammata sive elegidia, quorum amatoria sunt argumenta [2], non prima certe quidem sunt exempla metri illius, de quo nunc loquimur ac quaerimus: non sunt, inquam, omnium antiquissima distichi elegiaci monumenta. Non enim elegidia vel epigrammata amatoria, sed carmina sepulcris incisa, quae, si metrum excipias,

---

[1]) Cfr. etiam Horat. Sat. I, 10, 19, quaeque ipse de hac re monui l. adl. pagg. 63 seqq. et libelli, quo de *iudiciis quae de satirae latinae origine et de Lucilio Horatius tulit* disserui (Patav. 1886), pagg. 88 seqq. Verum ex imitatorum servo pecore, qui ea aetate, quam fere dicunt Ciceronianam, nimis molliter et putide Alexandrinorum poetarum vestigia sequebantur eorumque dicendi scribendique genus cincinnis ac fuco ornatum et calamistris tamquam inustum aucupabantur, excipiendus, ut par est, in primis Catullus: quem non iniuria, ut equidem arbitror, eorum poetarum quasi antesignanum - et eum praecipuum - dixeris quos, ut est apud nostros, (non raro enim fit ut quaedam sit populo cum populo similitudo in litterarum artiumque studiis eorumque gradibus et aetatibus), «i poeti del dolce stil nuovo» appellaverim. De Romanorum «poetis novis» nuper scripsit Carolus Pascal. *Caratteri ed origine della «nuova poesia» latina nel periodo aureo.* Torino 1890.

[2]) Praeter locos ipsos, qui servati sunt, et praeter ea quae Antonius Iulianus rhetor universe loquitur apud Gellium, testimonio sunt praecipue illa «recentium ἐλεγεῖα quaedam ἐρωτικά dulcia et venusta» (ib. § 4) cum § 9 comparata.

nullam sane graecanicam imitationem produnt, «versibus impariter iunctis», quippe qui finiendae orationi apti viderentur, primum Romae inclusa sunt. Ab hisce igitur principium.

Vetustissimus omnium titulorum, ut ante dixi, qui quidem ex distichis elegiacis constent [1], epigramma illud est habendum, quod Ennius (a quo tamquam a Prometheo et formante lutum et animante incipiendum) sibi ipse composuit:

> Nemo me dacrumis decoret nec funera fletu
> faxit. cur? volito vivo' per ora virum [2].

Porro exstat eiusdem poetae in P. Scipionem Africanum Maiorem epigramma, quod ex duobus locis, altero apud

---

[1]) Nam elogia omnium antiquissima (ut quae sunt in Scipionum sepulcris incisa) rudi quidem stilo horridoque illo numero saturnio sunt composita: ex quibus tamen nobilissimum omniumque optimum est Cn. Naevii epigramma «plenum superbiae Campanae», quod servavit Gellius I, 24, 2 «Immortales mortales cett.». Cfr. L. MUELLER l. adl. *Q. Ennius. Eine Einleitung* cett. p. 117.

[2]) *Q. Enn. Carm. Rell.* cett. Petrop. 1885, ed. L. MUELL. *Satt.* vv. 68 seq., p. 85. Cfr. *Fragm. Poett.* cett. ed. B. p. 125 (vv. 509 seq.), ubi scriptum legitur «hominum» pro eo quod est «virum». Hic locus est apud Ciceronem, Tusc. Disp. I, 15, 34; cfr. ib. I, 49, 117 et Cat. M. XX, 73. Quod etiam distichon Ennio ascribebatur (Cic. Tusc. I, 15, 34): «Aspicite, o cives, senis Enni imagini' formam! — hic vestrum panxit maxima facta patrum», iam a Scaligero cum epigrammate vere Enniano *Nemo me* cett. iunctum (cfr., praeter alios, HIER. COLUMNA in Enn. edit. Amst. 1707, p. 161; *Anthol. Burmann.* cett. II, 217; *Anth. Burm.-Meyeran.* I, 19 et *Annott.* p. 9; Io. VAHLEN. *Enn. Poes. rell.* Lips. 1854, p. 162, vv. 47 seqq.), id non Ennii esse, sed incerti auctoris, vel M. Pacuvii vel Octavii Lampadionis vel Q. Varguntei, qui Ennii imaginem annalium editioni praefixerit et hoc epigramma subscripserit, putat L. MUELLERUS l. nuper adl. *Testim.* p. 153. Cfr. p. 247 seq. (in Comment.) etiamque eiusdem *Q. Ennius. Eine Einleitung* cett. p. 290. In editione BAEHRENSII hoc epi-

Ciceronem (de Legg. II, 22, 57), altero apud Senecam (Epist. CVIII, 33 = L. XVIII, 5, 33), conflatum princeps coniunxit Scaliger:

> Hic est ille situs, cui nemo civi' neque hostis
> quivit pro factis reddere opis pretium [1].

In eundem Scipionem est alterum Ennii epigramma ex quattuor versibus vel duobus distichis elegiacis constans, cuius quoque, ut prioris, membra disiecta in unum corpus primus coegit iunxitque Scaliger:

> A sole exoriente supra Maeoti' paludes
> nemost qui factis aequiperare queat.

---

gramma ut incerti inscribitur (*Fragm.* cett. p. 137). Quod quidem epigramma, ut Plauti, quod ferebatur, elogium versibus hexametris compositum, recentioris aetatis esse, primus demonstravit O. JAHNUS, *Hermes*, II, p. 242 seq. *Sat.* § 11 (a. 1867). Idem autem vir doctus distichon «Nemo me dacrumis cett.» ad Ennii saturas, ut plerique, refert p. 243. Cicero vero Cat. M. XX, 73 et Tusc. I, 49, 117 Ennianam sententiam *Nemo me* cett. se Solonis elogio praeferre ait, qui his verbis se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare (21 [23] *Anth. Lyr.* cett. ed. TH. BERGK.):

> Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισιν
> ποιήσαιμι (*al.* καλλείποιμι) θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς —;

quos Solonis versus, metro elegiaco servato, sic interpretatus est Cicero (Tusc. l. adl.; apud BAEHR. *Fragm.* cett. p. 314):

> Mors mea ne careat lacrimis: linquamus amicis
> Maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

[1]) *Ennii Rell.* cett. ed. L. MUELL. *Satt.* vv. 69 seq., p. 85; cfr. *Enn. Poes. rell.* cett., p. 163, vv. 5 seq. ed. VAHLEN; *Fragm. Poett. Rom.* cett. ed. BAEHR. p. 125, vv. 510 seq., ubi pentameter paullum est immutatus. Olim hoc epigramma in iis Ciceronis libris *de re publica,* qui perierunt, scriptum legebatur, ut ex Senecae loco confici potest.

si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquamst,
mi soli caeli maxima porta patet [1].

Hisce non plura (et illa quidem omnium vetustissima) exstant distichorum monumenta apud scriptorem illum Romanorum, qui vere poesis latinae tamquam parens est appellatus. Quam vero locuples non modo universae poesis latinae sed etiam artis metricae auctor fuerit Ennius, ut eius exemplum etiam in posterum maneret, nuperrime docuit Luc. Muellerus cum communiter libro illo, quem saepius laudavi, *Q. Ennius. Eine Einleitung* cett., tum proprie p. 289 his verbis usus: «Die gewaltige Kraft des Ennius hat zwar der gesammten spätern Poesie Roms ihre unvergänglichen Spuren aufgedrückt, nirgend aber mächtiger gewirkt als bei Gestaltung der metrischen Kunst...... Alle folgten willig seinen Spuren».

Nullum autem hoc est firmius argumentum quo probatur, metra dactylica ab Ennio primum Romam inducta populi Romani ingenio respondere et brevi tempore in vulgarem communemque usum recepta esse, quod ea in titulis atque inscriptionibus mox usurpata videmus [2]. Omitto

---

[1]) *Ennii Rell.* cett. ed. M. vv. 71 seqq., p. 85; cfr. *Enn. Poes. rell.* cett. p. 163, vv. 7 seqq. ed. Vahlen; *Fragm. Poett.* cett. p. 125, vv. 511 seqq. Duo versus priores reperias apud Ciceronem, Tusc. Disp. V, 17, 49 (quorum priorem etiam apud Claud. Mamert. in Geneth. Paneg. c. XVI, p. 155, ed. Arntzen.), duo autem posteriores, qui quoque, ut superius epigramma (cfr. p. 83 et adn. 1) in Ciceronis libris *de re publica* erant, apud Senecam l. add. § 34; cfr. etiam Lactant. Div. Inst. I, 18.

[2]) Scite enim scripsit Federicus Schlegelius, quem laudat Luc. Muellerus *de r. m.* p. 95, metrorum quae a Graecis sumpsissent Romani praeter hexametros et disticha vix aliud evenisse populare et acceptum in vulgus. Atque etiam post illas litterarum latinarum aetates quas dicunt *auream* et *argenteam*, omnium frequentissime ad quaevis carminum genera scribenda numeri heroi et elegiaci adhibentur,

versus hexametros [1], sed exstat carmen quoddam, duobus distichis compositum, in Cn. Cornelii Cn. f. Scipionis Hispani [2] sepulcro incisum (ante med. saecul. VII) [3], cuius haec est sententia:

Virtutes generis mieis moribus accumulavi,
    Progenie mi genui, facta patris petiei.
Maiorum optenui laudem, ut sibei me esse creatum
    Laetentur; stirpem nobilitavit honor [4].

---

elegantiae tamquam sensu illo paullatim languente et hebescente, quem optime vocat GLEDITSCHIUS «das Gefühl für das Ethos der verschiedenen Metra» l. adl. p. 576.

[1]) Cuius generis vetustissimum vulgo putabatur exemplum Plauti, quod ferebatur, epigramma ex tribus hexametris constans, quod an Plauti foret se dubitaturum fuisse ait Gellius I, 24, 3, nisi a M. Varrone positum esset in libro de poetis primo. Epigramma sic incipit: «Postquamst mortem aptus Plautus cett.». Hoc autem elogium Plauto posterioris esse aetatis, nunc consentiunt inter se omnes fere viri docti. Cfr. O. JAHN. l. adl. *Herm.* II, p. 243 et LUC. MUELL. *Q. Ennius. Eine Einleitung* cett. p. 290, qui non ille quidem inepte, mea certe sententia, animadvertit, id non esse veri simile, Plautum cum sibi elogium componere vellet, eo metro usurum fuisse, quod et recens esset et ab eo metro diversissimum in quo (ut in aliis metris Naevius et Pacuvius fecerunt) summam sibi laudem peperisset. Quae contra, inquam, dixeris de Ennio et ad eius metra dactylica rettuleris. Ceterum in antiquissimis, post Ennii exemplum et auctoritatem, hexametrorum monumentis habenda sunt *titulus Mummianus* (de quo RITSCHELIUS *op.* IV, 97 seqq.) et *sortes Praenestinae* (*ib.* p. 395 seqq.); neque est silentio praetereunda *tabula Ardeatina,* quam cuidam pictori Asiatico Ardeates posuerunt. Cfr. LUC. MUELL. pag. 291.

[2]) Nemo ignorat quam coniuncte et amanter ex huius Scipionis maioribus Cornelius Scipio Africanus Maior cum Ennio vixerit.

[3]) Non admodum saeculi septimi circiter incipientis, ut vult LUC. MUELLERUS l. adl. p. 290 («etwa um's J. 600 fallende Grabschrift»), sed paullo certe post. nam Scipio hic praetor fuit anno u. c. 615; cfr. Scipionum stemma apud TH. MOMMSENUM. *Corp. Inscr. Latt.* cett. l, p. 12; cfr. p. 21, n. 38.

[4]) Sic epigramma ex lapide descripsit et litteras interpunxit THEOD. MOMMSENUS. *Corp. Inscr. Latt.* cett. l, p. 21, n. 38. Hunc titulum illustraverunt, praeter alios, MARINIUS, RITSCHELIUS, VISCONTIUS, ORELLIUS, quorum locos videsis apud MOMMSENUM l. adl.

Qui titulus eo pluris est faciendus, quod cum antea elogia ad unum omnia meris versibus saturniis conscripta cernamus, hoc est post Ennii exemplum primum monumentum inscriptionis alio atque saturnio numero confectae.

Huc etiam referenda sunt epigrammata duo non multo posteriora (ut cum ex aliis indiciis argumentisque, tum ex ipso scripturae genere et ex ipsa versuum ratione conficitur), in quibus si formam, rudiorem illam quidem etiam tum horridioremque, excipias, maioris tamen ambitus sententias magisque ad genus lyricum accedentes versibus imparibus iam includi coeptas esse videmus. Haec autem carmina in sepulcro incisa (quibus sermo alternus cuiusdam Aurelii viri et Philematii uxoris continetur) sic litteris minutis descripsit, in versuum ordinem direxit, interpunxit Mommsenus l. adl. p. 221, n. 1011:

I. Haec, quae me faato praecessit, corpore casto,
Coniunxs, una meo praedita amans animo,
Fido fida viro veixsit studio parili, quin
Nulla in avarities (*sic*) cessit ab officio.
II. Viva Philematium sum Aurelia nominitata,
Casta, pudens, volgei nescia, feida viro.
Vir conleibertus fuit eidem, quo careo eheu!
Ree fuit ee vero plus superaque parens.
Septem me naatam annorum gremio ipse recepit;
Quadraginta annos nata necis potior.
Ille meo officio adsiduo florebat ad omnis
. . . . [1]

Non est denique alia eiusdem ferme aetatis inscriptio omittenda, in qua iam carmen ipsum non tam rude nec

[1]) Inscriptionem, qua solet ingenii acie et doctrina, illustravit Mommsenus l. adl.

male factum dixeris. Quam, nisi quod litteris grandibus transcripsit et non interpunxit, sic edidit Mommsenus l. adl. p. 245, n. 1220:

Tu qui secura spatiarus (*sic*) mente viator
  Et nostri voltus derigis inferieis,
Si quaeris quae sim, cinis en et tosta favilla:
  Ante obitus tristeis Helvia prima fui.
Coniuge sum Cadmo fructa Scrateio (*sic*),
  Concordesque pari viximus ingenio.
Nunc data sum Diti longum mansura per aevum,
  Deducta et fatali igne et aqua Stygia [1].

Atque haec quidem in inscriptionibus: venio nunc ad scriptores.

Ac principio Gaium Lucilium hac maxime in re Ennium ducem et auctorem secutum esse aio, quod et ipse, quamquam alio ille quidem stilo usus est, saturas scripsit et, quod ad nostram rem maioris est momenti, metrum dactylicum tam frequenter ac paene dixi adsidue usurpavit, ut post Lucilium hexameter proprius fuerit ac peculiaris satirarum numerus [2]. Distichorum vero tria conservata sunt exempla, quae nunc appono. Ex his nobilissimum (quamquam eam ob causam, quam supra exposui, a Martiale XI, 90 ridetur) in Metrophanem, Lucilii servum, epigramma, quod Donatus ad Terentii Phorm. II, 1, 57 (= v. 287) servavit:

---

[1]) Eandem inscriptionem Mommsenus ante ediderat in *Inscr. Neap.* (n. 1623). Cfr. etiam Ritschl. tab. LXXIXb ad lap. et Henzen. n. 7413.

[2]) Uberius dixi de hac re cum in libello, qui est a me inscriptus «*Satirae Lucilianae ratio quae sit*» Patav. 1887 (p. 17 seq.), tum in altero, quem alio loco indicavi «*Iudicia quae de sat. lat. orig.* cett.» (p. 77 seqq.).

servo' neque infidus domino neque inutili' quoiquam,
Lucili columella, hic situ' Metrophanes [1].

Sequitur aliud Lucilii epigramma, ubi «plura ac prope omnia», ut ait D. Io. Nic. Madvigius ad Ciceronis, qui locum servavit, *de Finib.* II, 8, 23, p. 181 seq. (Haun. 1869), «valde dubia sunt». Ideo tamen quod metrum «aperte elegiacum» videtur Luc. Muellero in Lucil. comment. (p. 243) — etsi a Madvigio versuum descriptio sublata est, «quia ne ea quidem prorsus certa sit» —, hic non esse neglegendum censui:

defusum e pleno siet hir siphoneve, cui nil
durist, cum nix et sacculus abstulerit [2].

Denique metrum elegiacum exhibet (ut versuum verba componere placuit Lachmanno, cui Muellerus et Baehrensius adsensi sunt) epigramma quod sequitur:

quae cum ad me cubitum venit, sponte ipsa suaptest
adducta, ut tunicam et cetera reiceret [3].

---

[1]) *C. Luc. Satt. Rell.* cett. Lips. 1872, ed. Luc. Muell., XXII, 1 seq., p. 76; *Fragm. Poett. Rom.* cett. ed. B., vv. 412 seq., p. 199.

[2]) XXII, 3 seq., p. 77. ed. M. Verborum ordo verbaque ipsa valde immutata sunt apud Baehrensium *Fragm.* cett. p. 200 (vv. 414 seq.), sed ipse quoque metrum elegiacum retinuit.

[3]) XXII, 5 seq., p. 77, ed. M.; vv. 418 seq., p. 200, in *Fragm.* cett. ed. B.; Lucianus autem Muellerus in *Comment.*, p. 243 seq., non negat ex his verbis (quae sunt apud M. Ter. Varronem *de l. L.* VI, 69), metrum iambicum constitui ac reponi posse. Alias elegorum reliquias non reperias apud Lucilium, nisi hos pentametros, qui a Nonio servati sunt: «Insignis varis cruribus et petulis» (ib. v. 8, ed. M.; ib. v. 416, apud Baehr.) et «Zopyrion labeas caedit utrimque secus» (ib. v. 9, ed. M.; ib. v. 417, apud Baehr.). Ex loco autem corruptissimo apud Charisium, qui Lucilii versum sic apponit: «tierci leontado et et pumone ethermo pulas» (*Inst. Gramm.* l. I, vol. I, p. 71, 11 ed. K.; hunc versum in Lucilii libros incertos rettulit Muellerus, v. 119, p. 148), haec coniecit et pentame-

Quae duo posteriora disticha, si quidem ex hexametris pentametrisque principio constabant, ut vix dubitari posse videtur, idcirco haud levis sunt ponderis quod haec una cum iis versibus, quos mox adlaturus sum, vetustissima habenda sunt exempla distichorum, quae ad alias res, a carminibus in sepulcris incisis longe alienissimas, describendas sunt translata.

Cuius generis et eius quidem amatorii (quo in genere via illa quasi indicari ac portendi videtur quam postea plenius sane aureo plectro sonantes ingressi sunt Romanorum poetae elegiaci) [1] carmina illa sunt, cantorum instar Euphorionis confecta, quae memoravit ac servavit Gellius XIX, 9, 10 seqq. (ed. Hertz.), quibusque ipse putat (rem profecto nimis augens et in maius extollens) «mundius, venustius, limatius, tersius, Graecum Latinumve nihil quicquam reperiri» : [2].

I. Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
 Quid mi abs te quaeram? membra labris abeunt,

---

tris addidit Baehrensius *Fragm.* cett. p. 201, v. 419: «*tierei*, Leonida, et *pumone* Thermopulas»: e quibus quo tandem pacto pentameter erui atque elici possit, equidem non video.

[1]) Optime igitur Herm. Paldamus fecisse mihi videtur, qui libellum quo maxime de poetis elegiacis agit inscriptum voluerit «*Römische Erotik*» (Greifsw. 1833). Cfr. praesertim p. 41: «Es ist aber vorzugsweise die erotische Elegie zu verstehen, wenn von römischer Elegie die Rede ist»; et paullo post: «In Rom wurde. .. der Begriff Elegie identisch mit dem des Liebesliedes». Qua in re gravissima sunt verba quae de elegia, «utique qua amat», dicit Quintilianus I, 8, 6: quam in pueris instituendis «amoveri, si fieri possit; si minus, certe ad firmius aetatis robur reservari» iubet.

[2]) Cfr. quae ad haec epigrammata, ut ipse vocat, venuste et eleganter adnotavit Paldamus. *Röm. Erotik* cett. p. 20 seqq.

Per pectus manat subito, subito mihi sudor:
Sic tacitus, subitus, duplo ideo pereo [1].

II. Qui faculam praefers, Phileros, quaest nil opus nobis?
Ibimus sic, lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est vis saeva extinguere venti
Aut imber caelo candidus praecipitans,
At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus ipsa,
Nullast quae possit vis alia opprimere [2].

III. Custodes ovium + vendere propaginis, agnum,
Quaeritis ignem? Ite huc. Quaeritis? Ignis homost.
Si digito attigero, incendam silvam simul omnem,
Omne pecus flammast, omnia qua video [3].

IV. Aufugit mi animus. Credo, ut solet, ad Theotimum
Devenit. Sic est: perfugium illud habet.

---

[1]) Hoc Valerii Aeditui epigramma viri docti restituere alii aliter conati sunt: velut H. Usenerus. *Rhein. Mus. f. Phil.* 1864, XIX Jahrg. p. 150 seq. et iterum ibid. 1864, XX, p. 147 seqq.; C. F. W. Muellerus et R. Peiperus ibid. XIX, p. 311. A Gellii editione Hertziana, quam secutus sum, longe recessit in hoc epigrammate edendo Baehrensius *Fragm.* cett. p. 275. Recte meo quidem iudicio ad hos versus haec animadvertit Carolus Pascal. l. adl. p. 32: «Chi non vede in questi versi un'anticipazione dei fremiti e della febbre di Catullo?». De hoc V. Aeditui epigrammate conferas etiam quae scripsit F. Maixnerus. *Zeitschr. für die österr. Gymn.* Bd XXXVI, Heft. VIII-IX, p. 583 seqq. (a. 1885).

[2]) Hoc quoque epigramma, ut superius, Valerii Aeditui est. Apud Baehrensium l. adl. nonnulla aliter scripta leguntur. Cfr. etiam Fr. Maixner. *Zeitschrift f. die österr. Gymn.* Bd XXXIV, Heft VI, p. 405 seq. (a. 1883).

[3]) Porcii Licinii epigramma. Primum versum ex P. Victorii coniectura sic scripsit Baehrensius «Custodes ovium teneraeque propaginis, agnum» cett. p. 278 seq. De quo epigrammate cfr. quae O. Schneider. *Callimachea.* Vol. I, p. 101 ad epigr. inc. II (=5 dub. ed. Mein.) animadvertit: «Ceterum Portium Licinium hoc epigramma ante oculos habuisse quum versus scriberet qui sunt apud Gellium XIX, 9, 13 Jacobsius monuit Animadv. T. XI, p. 314». Quod graecum epigr. reperias in *Anth. Pal.* (IX, 15), idemque etiamsi Callimachi ipsius non sit, alii certe cuipiam poetae alexandrino est tribuendum. Cfr. Fr. Maixner. *Zeitsch. f. die österr. Gymn.* Bd XXXVIII, Heft I, p. 1 seqq. (a. 1887).

Qui, si non interdixem, ne illunc fugitivum
Mitteret ad se intro, sed magis eiceret?
Ibimus quaesitum. Verum, ne ipsi teneamur,
Formido. Quid ago? Da, Venus, consilium [1].

Eiusdem fere generis eiusdemque poetae cuius sunt versus quos extremos attuli (n. IV), Q. Lutatii Catuli, epigramma in Roscium servavit Cicero de nat. deor. I, 28, 79 (apud Baehr. Fragm. cett. p. 276):

Constiteram exorientem Auroram forte salutans,
Quom subito a laeva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra:
Mortalis visust pulcrior esse deo [2].

Hisce adicienda epigrammata Pompilii duo, quorum alterum M. Ter. Varro in libr. *de ling. Lat.* (VII, 28; cfr. etiam Prisc. Inst. l. III, Vol. II, 90, 3, ed. K.), alterum Nonius in libr., qui est *de compend. doctr.* (87, 32 M.) rettulit:

I. Ridiculum est, cum te cascum tua dicit amica,
Fili Potoni, sesquisenex puerum.
Dic rusum pusam: sic fiet 'mutua muli';
Nam vere pusus tu, tua amica senex.

---

[1]) Hi versus Q. Lutatii Catuli sunt. Eadem paullum immutata apud Baehrens., *Fragm.* p. 275 seq. Hoc epigramma Q. Catulus ex Callimacho convertit vel imitatus est, ut iampridem animadvertit Scaliger, quem secuti sunt O. Schneider. *Callim.* Vol. I, p. 429 seq. Exc. ad ep. XLII (=41 ed. Mein.; *Anth. Pal.* XII, 73), Aem. Baehrens. *Prolegg.* ad Catulli edit. Vol. II, p. 6, alii. Cfr. Fr. Maixner. *Zeitschr.* cett. l. nuper adl. (p. 60 adn. 3) p. 4 seqq.

[2]) Ex quibus et iis, quos supra attuli, versibus conficitur, suo quidem iure Q. Catulum in ordinem poetarum illorum «qui non seria modo verum etiam lusus expresserint» referre Plinium Epp. V, 3, 5.

II. Pacui discipulus dicor, porro is fuit *Enni*,
Ennius Musarum: Pompilius clueo [1].

Quod vero in M. Terentii Varronis Reatini satiris Menippeis magna inerat carminum varietas [2], idcirco nihil attinet nos mirari, versus quoque elegiacos a Varrone usurpatos esse: quin etiam illud esset mirabile, si in eius satirarum reliquiis, quamquam illas quidem non ita magnas esse dolendum est, exempla metri elegiaci reperiremus nulla. Quoquot vero huius numeri exempla apud Varronem collegi, haec nunc appono [3]:

I. hospes quid miras nummo curare Serapim?
quid quasi non curet tanti item Aristoteles.
vv. 128 seq., p. 176.

II. . . . . atque
Aegaeos fluctus quam lavit ante aquilo,
saevus ubi posuit Neptuni filius urbem.
vv. 226 seqq., p. 186.

---

1) *Fragm.* cett. ed. B. p. 274. In Varronis Satt. Men. reliquias distichon posterius rettulit Franc. Buechelerus (*Petr. Satt. et lib. Priap. Adiectae sunt Varr. et Sen. Satt.* cett. Berol. 1882) p. 199, vv. 356 seq. Epigrammata et ea metro elegiaco scripsisse videtur etiam T. Quinctius Atta, togatarum scriptor, ut ex loco apud Nonium 202, 23 M. ad vocem «*crinis*» feminino genere usurpatam argui potest; cuius exstat hexameter hic: «Praeterea lusit resoluta crine capillus» *Fragm.* cett. ed. B. p. 273. Cfr. etiam Maur. Haupt. *Opusc*, Vol. III, part. post. (Leipz. 1876) p. 440, qui pro «lusit» et «capillus» conicit «fusis» et «capillis».

2) Cfr. Cic. Acad. Post. I, 3, 9; Quint. X, 1, 95; Prob. ad Verg. Ecl. VI, 31, p. 14, 19, ed. K., qui tradit, Varronem Menippeum cognominatum esse non a magistro (Menippo Cynico Gadarensi), sed a societate ingenii, quod is quoque *omnigeno carmine* satiras suas expolivisset. Cfr. etiam Gell. II, 18, 7.

3) Buecheleri editione usus sum, quam supra indicavi. Disticha epigrammatica frequentissime usurpavit Varro in *Imagg.* vel *Hebdom.*, in quibus singulae virorum illustrium imagines singulis elogiis ornabantur; cfr. Teuffel. *Gesch.* cett. I, p. 47, § 31, p. 293 seq., § 166, 5; sed ex iis

III. natura humanis omnia sunt paria:
qui pote, plus urget, piscis ut saepe minutos
magnu' comest, ut avis enicat accipiter.
vv. 289 seqq., p. 192.

IV. ergo tum Romae parce pureque pudentis
vixere, en patriam, nunc sumus in rutuba.
vv. 488 seq., p. 213 [1].

Quibus distichorum exemplis apud Varronem indicatis prolatisque, manifesto patet quam magno in errore versatus sit Franc. Wuelnerus, qui in *Comment. de P. Terentii Varronis Atacini vita et scriptis.* Monast. 1829, p. 7, temere negaverit, umquam quidquam a M. Varrone Reatino elegiacis versibus aut hexametris [2] scriptum esse [3].

---

reliquiis, quae aetatem tulerunt, nullum exstat metri elegiaci documentum. Cfr. BAEHRENS. *Fragm.* cett. p. 295 seqq. et *praef.* p. 27.

[1]) In Varronis satiras Menippeas epigramma quod incipit *Pacui discipulus* cett. et nunc vulgo ex coniectura BERGKII Pompilio ascribitur (nam in codd. est «Pomponius»), rettulisse BUECHELERUM, iam supra monui (p. 62 adn. 1). Versus non integer «ut Naides undicolae» v. 130, p. 176 (vel «Najades» apud FR. OEHLERUM, *M. Ter. Varr. Satt. Menipp.. Rell.* Quedlinb. et Lips. 1884, p. 121, n. XXXI, 42), etsi quominus pentametri pars et ea extrema habeatur nil obstat, tamen ita rem se habere, ut vult BUECHELERUS *ind.* p. 248, ex versu illo dimidiato nihil necessario colligi cogique potest.

[2]) Quod ad hexametros attinet, cfr. etiam v. 9, p. 164; vv. 36 seqq., p. 166; vv. 71 seq., p. 169; v. 86, p. 171; vv. 125 seq., p. 175; vv. 127 seq., p. 176; v. 173, p. 180; vv. 181 seq., p. 181; vv. 225 seq., p. 185; vv. 252 seq., p. 188; v. 327, p. 196; v. 450, p. 209; v. 461, p. 211; vv. 507 seq., p. 215; v. 508, p. 215; v. 546, p. 219.

[3]) Huius fere aetatis est epigramma amatorium, Pompeiis in pariete quodam detectum, quod F. BUECHELERUS (*Rhein. Mus.* a. 1883, Vol. XXXVIII, p. 474 seq.) primus edidit et illustravit; de quo conferendus est etiam AEM. BAEHRENSIUS. *Jahrr. für Phil.* cett. a. 1883, Vol. CXXVII, p. 798. Hoc est epigramma, quod, ut ait BUECHELERUS l. adl., «einer besonderen Erwähnung werth ist, weil es einen Beitrag liefert zur röm. Lyrik vor Catull und Calvos»: «quid fi]t vi me, oculei, posquam deducxstis in ignem, — no]n ad vim vestreis largificatis

Cum alios praeteream Ciceronis et Catulli temporibus fere aequales, quos epigrammata vel elegidia scripsisse memoriae proditum est, sed eorum aut ne unum quidem superest distichon, aut exiguae admodum exstant reliquiae [1], venio nunc ad M. Tullium Ciceronem. Cum taceam hoc loco de eius epigrammatis [2], illud maximi est momenti quod, si unius Servii testimonio fidem adiungimus, elegiam quoque a Cicerone tractatam esse statui necesse

---

geneis. — verum] non possunt lacrumae restinguere flamam, — hae]c os incendunt tabificantque animum». Alia epigrammata memorat ibidem Buechelerus, sed cuius sint aetatis non dicit.

[1]) Hi poetae nunc universo «cantorum Euphorionis» nomine distinguuntur. Cfr. Baehr. *Fragm.* cett. p. 317 seqq.; quae verba ex loco omnibus noto Cic. Tusc. III, 19, 45 deprompta sunt: haec autem optime illustravit Aug. Meinekius. *De Euphor. Chalc. vita et script.* Gedani, 1823, p. 35 seq.

[2]) Plinius Epp. VII, 4, 3 memorat epigramma Ciceronis in Tironem suum, quod, ut ex iis efficitur quae sunt apud Plinium, lascivi generis fuisse apparet, sed quo id metro Cicero scripserit nulla assequi coniectura possumus. Quintilianus vero VIII, 6,73 adfert hoc Ciceronis epigramma ex disticho compositum quod in quodam eius ioculari libello fuerit: «Fundum Vetto vocat, quem possit mittere funda: — Ni tamen exciderit, qua cava funda patet». (Cfr. Calpurn. ad Terent. Heautont. I, 1, 16 = v. 68; nonnulla aliter scripta sunt apud Baehrensium. *Fragm.* cett. p. 304). Inepte cum his Ciceronis versibus incerti scriptoris distichon, argumenti quasi quadam similitudine adductus, coniunxit, auctore Pithoeo, Burmannus. *Anth. Latt.* cett. l. III, n. 56: «Extractam puteo situlam cum ponit in horto, — Ulterius standi non habet ipse locum»; quod distichon, nulla aut Ciceronis aut superioris distichi mentione facta, de hyperbole docentes afferunt Charisius p. 275, 25 (Vol. I, ed. K.) et Diomedes p. 461, 24 (ib.). Igitur non iniuria hos versus uncis inclusit Meyerus (*Anth.* cett. T. I, p. 16, n. 65), Baehrensius omisit. Ex iis autem quae Cicero ex Graecis in Latinum metro elegiaco vertit, duo exstant epigrammata: quorum alterum iam alibi (p. 53 in adn.) attuli, alterum, ex nobilissimo Simonidis epigrammate (Herod. VII, 228; Anth. Pal. VII, 249) in Latinam linguam translatum (Tusc. I, 42, 101; apud Baehr., *Fragm.* cett. p. 315) nunc in medio propono: «Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentes, — Dum sanctis patriae legibus obsequimur».

est. Hoc enim conficitur ex Servii loco ad Verg. Ecl. I, 57, elegiam quandam, quae in Servii libris manu scriptis aliis aliter inscripta est [1], a Cicerone esse compositam, cuius hoc ne integrum quidem distichon adfert vetus ille Vergilii interpres:

Iam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes
Relliquit [2] ⏑⏑ – –⏑⏑ –⏑⏑⏓.

Cum vero neque ex Servii loco neque aliunde ullo modo colligi aut conici possit, utrum haec elegia a Cicerone iam tum adulescenti an sit eo tempore composita cum alii antea elegiam tractaverant [3], id sine ulla dubitatione adfirmari potest, Catulli carmina elegiaca prima et ea, si temporum rationem habemus, gravissima ac praeclarissima huius generis exempla habenda esse apud Romanos [4].

Ut ex omnium vetustissimis, quae attuli, metri elegiaci exemplis ac testimoniis, manifesto elucet, omnia fere haec carmina horridi quid et inculti prae se ferunt et nonnumquam etiam immodulata (ut Flacci illo *ἅπαξ εἰρημένῳ* utar) sonare videntur. Cum vero taceam de di-

[1]) Scriptum enim legitur vel «Tamelastis» vel «Temelastis» vel «Talemgais» vel «talia masta» cett.; hinc variae virorum doctorum coniecturae prolatae sunt, ut Heusdii *Tempestas*, Heinsii *Thalia maesta* (cui adsentit Mart. Schanz. *Gesch. der röm. Litt.* Vol. II, p. 100, *in Handb. der class. Alt.* cett. Vol. VIII), Lud. Urlichsii *Italia maesta*, Mart. Hertzii *Θαυμαστά*, aliorum. Cfr. etiam Max. Grollmus. *De M. Tull. Cic. poeta.* Regim. 1887, p. 6.

[2]) Apud Baehrensium. *Fragm.* cett. p. 306, vv. 21 seq.

[3]) Quod ad elegiae argumentum spectat, Nobbius in adnotatione quam transcripsit Reinh. Klotzius *Cic. opp.* P. IV, Vol. III, p. 343 (Berol. 1876), de profectione quadam «vel valetudinis vel Clodii vel Caesaris vel Antonii causa suscepta», quam Cicero versibus elegiacis cecinerit, cogitat ac suspicatur. Alii aliter; cfr. Baehr. l. adl.

[4]) Cfr. Maur. Haupt. *Opusc.* cett., Vol. III, P. I, p. 205; (cfr. etiam eiusdem *Prop. eleg. ed. prooem.*).

stichorum conformatione, in quibus artem nullam aut admodum, ita dixerim, infantem cernimus, quid de oratione ipsa loquar? in qua, ut hic quoque Horatianis paene verbis utar, in plerisque nimis antique, dure, ignave dictis vel crasse illepideve compositis offendimus; quae tamen non sunt iusto magis premenda ac vituperanda: pleraque enim illorum temporum rudi sermoni poetico, arti nondum adultae atque adeo tum demum primum incipienti novique metri dirae necessitati difficultatique concedenda et hanc ob rem excusanda videntur. Quod vero distichon elegiacum, si hoc metrum quale usque ad Catulli tempora et in Catulli ipsius carminibus cernitur [1], consideramus, hexametri heroi comparatione vinci fateamur necesse est, huius rei causa in eo, ut puto, est anquirenda, quod metrum elegiacum diu ad epigrammata atque elegidia scribenda, quae in operis subsicivis habebantur nec digna ducebantur, in quae tempus curaque impenderetur, potissimum adhibuerunt poetae Romanorum. Cum vero per Cornelium Gallum factum sit, ut elegia et ea maxime amatoria cum latius tum diligentius celebrari atque excoli coepta esset [2], metrum quoque elegiacum brevi tem-

[1] Vere mihi hoc videor esse dicturus, Catullum in disticha usurpandi ratione arteque tantum iis qui vel eiusdem vel paullo superioris aetatis fuerunt, antecellere quantum ipsum ab illis, qui eum consecuti sunt, carminis elegiaci tamquam coryphaeis, distare. Itaque Catullum, qui inter duas aetates studiis artibusque dissimillimas quasi medius exstiterit (de qua re pauca monui op. adl. p. 62 seqq.), cum universae poesis latinae tum elegiacae (si carminis maxime formam intueris) inter utramque aetatem quasi conciliatorem habendum esse, omnes, ut opinor, concedent.

[2] Ante Cornelium Gallum elegias amatorias scripsisse P. Terentium Varronem Atacinum, qui hoc in genere Alexandrinorum sectam secutus sit, argui potest ex Prop. III (II), 32 (34), 85 seq. et Ovid. Trist. II, 439 seq.; versus vero eius hexameter «huic similis curis ex petra lamentatur» (aliter ex parte scriptus apud auctorem [Sergium?] Expl. in

pore ad summum est provectum: quod cuique Tibulli, Propertii, Ovidii carmina perlegenti in promptu est.

V

Nunc vero quaeritur, quibus maxime de causis Catullus ab iis, qui eum consecuti sunt, elegiae latinae princi-

---

Donat. l. II, p. 564, 17, Vol. IV ed K., qui ex quo Varronis loco versum deprompserit non indicat) cur ad elegias referendus sit, ut BAEHRENSIUS, *Fragm.* cett. p. 336, suspicatur, non video (nam ex vocibus unius versus, quae sunt *curae* vel *lamentari*, nihil magis efficitur); quin potius vix id crediderim, cum versus hexameter spondiacus (cuius etiam ne quartum quidem pedem dactylus conficit et eiusdem clausula verbum est latinum) perraro inveniatur, ne antiquissimis quidem poetis exceptis, in metro elegiaco: hunc libentius ad eius *Argonautas* vel *Bellum Sequanicum* vel aliud quodvis eius poema hexametris versibus compositum ipse rettulerim. Quare autem Varro Atacinus in ordinem poetarum elegiacorum non veniret (cfr. praesertim Trist. IV, 10, 53, ubi Ovidius poetas elegiacos et eos amatorios, temporis ordine servato, in numerum redegit), verissime, mea quidem opinione, indicavit TEUFFELIUS, *Gesch.* cett. I, § 32, 1, p. 50, cum haec diceret: «Der älteste Dichter dieser Art (i. e. elegiae amatoriae) ist als minder bedeutend in diesen Aufzählungen (i. e. Ovid. l. adl.; Quint. X, 1, 93; Diom. p. 484, 21, Vol. I ed K.) übergangen». Cfr. ib. § 212, 2, p. 435, ubi, Propertii et Ovidii testimoniis adlatis, haec addit: «Dies sind aber die einzigen Spuren seiner Elegien, weil seine Nachfolger ihn verdunkelten: kaum war es die ausserrömische Abkunft die ihn nicht zu Einfluss gelangen liess». Epigramma autem in Licinum quendam, quod vulgo ex uno et eo incerto scholiastae ad Pers. II, 36 testimonio Varroni Atacino tribuebatur: «Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato nullo, — Pompeius parvo: credimus esse deos?» (cfr. Schol. Cruq. ad Horat. Ep. II, 3, 301; WERNSDORSF. *Poett. latt. min.* cett. IV, p. 587; BURM. *Anth.* cett. II, 37; BURM.-MEYER. *Anth.* cett. 1, 77, p. 19; [cfr. in *Adnott.* I, p. 31]; BAEHR. *Poett. latt. min.* cett. IV, p. 64; RIES. *Anth. lat.* cett. I, n. 414, p. 268: cui disticho tamquam responsum vulgo alterum subiungitur: «Saxa premunt Licinum, levat altum fama Catonem, — Pompeium tituli: credimus esse deos»), hoc, inquam, epigramma neutrius Varronis esse, neque Atacini neque Reatini (nam huic quoque ascriptum est), primus comprobavit FR. WUELLNERUS l. adl. Neutrum epigramma in *Fragm.* cett. recepit BAEHRENSIUS. Cfr. praeterea TEUFFEL. *Gesch.* cett. p. 435. — De Cornelio autem Gallo, quem elegiam amatoriam et eam, si temporum rationem spectes, ante Tibullum ceterosque Romae egregie tractasse dixeris (Ovid. Trist. IV, 10, 53; cfr. ib. II,

pibus in distichorum usurpandi ratione differre videatur. Qua in re, ut epigrammata missa faciamus, ea Catulli carmina considerabimus, in quibus vagientis tamquam elegiae vocem audiri dixeris, in quibus, ut magis proprie loquar, genus dicendi iam elegiacum quodammodo conformari

---

445; V, I, 17; Rem. Am. 765; Am. I, 15, 29 seq.; III, 9, 61 seqq.; A. A. III, 334; 537; Prop. III (II), 32 (34), 91 seq.; Verg. Ecl. X; Mart. VIII, 73, 6; Donat. in Verg. Vit. § 38; Serv. ad Verg. Ecl. X; Diom. p. 484, 22, Vol. I ed K.; hunc praecipue in Euphorionis cantoribus significasse Cicero videtur Tusc. III, 19, 45; cfr. HAUPT. l. adl. p. 206), aut satis aut certe uti potui scripsisse mihi videor op. adl. p. 94 seqq. Id nunc tantum considerari iubeo, elegiae *amatoriae* quasi parentem, Cornelium Gallum dico (namque Catullus universae elegiae primus auctor habendus), non aliter a fortuna vexatum esse quam Lucilium, satirae latinae conditorem: horum enim operibus fere sumus destituti; quod sane dolendum in duobus illis carminum generibus factum esse, quorum alterum proprium ac peculiare totumque est Romanorum, alterum, quamvis a Graecis antea factitatum, fortiter eis opponi potest, quippe quo in genere Romani Graecis praestitisse videantur. Sed Cornelio Gallo iniquius evenit quam Lucilio: namque cum Lucilii satirarum reliquiae non desint, ex quibus aliquam eius ingenii coniecturam capere liceat, Cornelii Galli contra, quem quattuor elegiarum libros scripsisse traditum est, nihil praeter pentametrum superest: quae autem Cornelii Galli olim ferebantur elegiae sex, omnis generis sordibus refertae, has subditicias esse et Maximiano cuidam, poetae Etrusco (saec. VI p. Chr. n.), nunc vulgo a viris doctis ascribi monui op. adl. p. 95 adn. 1. Cfr. etiam CORN. CHR. CONR. VOELKER. *Comm. de Corn. Galli vita et script.* P. II, Elberf. 1844, p. 7. Cornelii vero Galli pentametrum servavit Vibius Sequester - *de fluminibus, fontibus* cett. p. 11 ed. OBERL. (p. 5, 21 BURS.; p. 336 in BAEHR. *Fragm.* cett.): «Uno tellures dividit amne duas»: in quo (si ex uno versu aliquid effici cogique licet) verborum quaedam usurpandi collocandique ratio et artificium (velut «*uno*» et «*duas*» per antitheton, praeterea pentametri verba per χιασμὸν sibi respondent) iam cerni potest. Ceteroqui poetam *durum* eum appellat Quintilianus X, 1, 93: cuius iudicio ea, quae de Cornelio Ovidius cum aliis locis tum maxime Rem. Am. 765 dixit, non adversantur: verborum enim Quintilianus, rerum Ovidius rationem habuit. Denique hoc non est omittendum, nonnullos viros doctos esse qui putent, in Prop. III (II), 32 (34), 91 seq. et in Verg. Ecl. X (cfr. Serv. ad Verg. Ecl. X, 46 et VI, 72) quaedam inesse, quae ex ipsius Cornelii Galli carminibus translata sint. Cfr. VOELKER. op. adl. p. 11 et 13; hanc rem ipse strictim attigi op. adl. p. 97.

atque comparere videmus. Sunt autem carmina numeris LXV, LXVI, LXVII, LXVIII, LXXVI, LXXXXVI, LXXXXVIIII,[1] CI distincta[2]. Ut id paullo subtilius ac diligentius inquiramus, haec carmina hisce praecipue de causis ab iis, quae in posterum valuerunt, distichi elegiaci legibus recedere videntur, quas in medium prolaturus sum.

Atque hoc primum est animadvertendum, Catullum ideo praesertim ab omnium optimis, qui insecuti sunt, elegiae latinae scriptoribus, Tibullo maxime et Ovidio, differre, quod eum Graecorum atque imprimis Alexandrinorum disticha pangendi rationi (taceo enim de carminum ipsorum argumentis et natura) nimis studiose indulsisse apparet. Quod graecorum poetarum affectandi sectandique studium, ut ab iis quae graviora videntur ordiamur, in immoderato versuum spondiazonton usu facile quisque perspiciat[3]. Qua quidem licentia cum perraro utantur universi hexametrorum scriptores latini, idque etiam vel pingendi gratia vel causa alia quae dicitur rhetorica vel alius generis plerumque impulsi faciant, nemo non videt quam haec res inconcinna auribusque molesta cadat, praesertim in distichis elegiacis, quorum partibus prioribus

---

[1]) Hoc carmen ex epigrammatis eximo atque in carmina elegiaca refero quia et paullo longius est et elegiae generi amatorio non iniuria ascribi potest. Cetera vel carminis ambitu, ut non dicam de metro, vel genere ipso tum tristi ac lugubri tum amatorio, quin in carminum elegiacorum numerum sint referenda, nullum, ut puto, est dubium.

[2]) Utor Catulli carminum editione quam recensuit Luc. Muellerus, Lips. 1880, qui uno libro Tibulli quoque et Propertii carmina aliorumque poetarum reliquias cum Priapeis complexus foras dedit.

[3]) Optime de hexametris spondiacis idque potissimum apud poetas Graecorum separatim scripsit Arthurus Ludwichius libello qui inscribitur *De hexametris poetarum Graecorum spondiacis.* Hal. 1866; de distichorum autem hexametris spondiacis proprie disputavit p. 18 seqq.

tam grave spondeorum pondus imponatur. Cuius generis exempla haec repperi in iis, quae indicavi, Catulli carminibus elegiacis (horum vero perpauca nominum propriorum iustam habent excusationem) [1]: 65,23: «Atque illud prono praeceps agitur decursu»; 66,3: «Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur»; 41: «Digna ferat quod siquis inaniter adiurarit»; 57: «Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat»; 61: «Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus»; 68,65: «Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata»; 87: «Nam tum Helenae raptu primores Argivorum [2]»; 89: «Troia (nefas) commune se-

[1]) Versus spondiacos adeo Catullus adamavit, ut in epyllio Pelei et Thetidis (c. 64) spondiacos tres continuatos poneret, vv. 78-80. Apud vero ceteros poetas ne duo quidem spondiazontes continuantur. Trium spondiazonton eorumque coniunctorum exempla sunt etiam apud Theocritum (Idyll. XIII, 42-44; XXV, 29-31) aliosque Alexandrinos (cfr. M. Haupt. *Opp.* II, 78 et Bern. Schmidt. Cat. ed. *Prolegg.* p. LXVI seq.), atque adeo quattuor, apud Eratosthenem Cyren., fr. XV, 11-14 (praeter Hom. Il. II, 658-661) aliosque. Cfr. Ludwich. l. adl. p. 22 seq. De versu Catulliano 116, 3, qui ex spondeis constat totus, infra pauca dicam.

[2]) Quo in versu id est magis reprehendendum quod ne quartus quidem atque adeo ne tertius et secundus quidem pes dactylicus est, cum in hexametris spondiacis haec fere lex sanciatur ut quartus certe pes dactylus sit. Quam legem migravit Catullus etiam in epyllio (c. 64), v. 3 «Phasidos ad fluctus et fines Aeetaeos» et v. 44 «Regia, fulgenti splendent auro atque argento», gravius vero epigrammatis 116 versu 3, qui ex meris constat spondeis. Hanc autem legem diligentissime servarunt Propertius et Ovidius (nam Tibullus a spondiazontibus prorsus abhorruit), praeterquam quod apud Ovidium (Her. VIII Herm., 71) hexameter sic concluditur «Amycleo Polluci»: quod nominis proprii necessitate excusatur (contra cfr. Met. I, 117 «... et inaequales autumnos»). Etiam in Lucretii libris spondiazonton leges diligenter ac severe servatas esse apparet. Et recte quidem Car. Lachmannus in *Comm. Lucr.* ed. III Ber. 1866, ad III, 198, p. 150 seqq. adnotavit, Lucretium ab hexametris in tres spondeos exeuntibus abstinuisse; versus enim I, 559; III, 706 (704); VI, 443 σπουδειάζοντας habendos non esse, quod in verbo *dissolvendi* (= dissoluendi) dihaeresis quaedam esset statuenda. Contra apud Verg., Aen. VII, 634, «Aut leves cett.», de quo cfr. p. 94 adn. 1.

pulcrum Asiae Europaeque»; 105: «Quo tibi tum casu, pulcherrima Laudamia»; 109: «Quale ferunt Grai Pheneum prope Cylleneum»; 76,15: «Una salus haec est, hoc est tibi pervincendum». Quibus in locis uniuscuiusque versus clausula vel tetrasyllaba est (novies, 66,3; 41; 61; 68,65; 87; 89; 105; 109; 76,15), vel trisyllaba (bis, 65,23; 66,57) praemisso vocabulo anapaesto, numquam vero aut monosyllaba (quod perraro fieri etiam apud poetas graecos, docet Ludwichius l. adl. p. 32) aut bisyllaba (qua clausula versum spondiacum finire neque Graecos Alexandrinae aetatis neque eos, qui hos secuti sint, voluisse, sed aliter rem se habere apud vetustiores poetas, idem monet Ludwichius l. adl. p. 36).

Quod si quis ad Catullo veniam tribuendam quod is in versibus spondiacis, idque etiam in metro elegiaco, utendis tam multus fuerit, causam artis etiam tum non adultae ac firmatae adferre velit, Lucretium ipse ei opponam, qui quamquam aetate vel prior Catullo fuit, spondiazontas sic raro admisit, ut vix inter singula milia versuum seni septenive spondiaci reperiantur. Quid? quod Catullus ipse se legem observare potuisse, si voluisset, ostendit carm. 62 et 67, in quibus spondiacos omnino vitavit.

Hunc vero frequentem versuum spondiacorum usum in recentiorum vel *novorum* poetarum, qui Alexandrinorum vestigia persequebantur, deliciis et amore fuisse, colligitur ex Ciceronis contrito ac vulgato loco ad Att. VII, 2,1: «Brundusium venimus VII. Kalend. Decembr. usi tua felicitate navigandi: ita belle nobis 'flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites'. Hunc *σπονδειάζοντα*, si cui voles *τῶν νεωτέρων*, pro tuo vendita». Ac praeter Quintilianum, cui huiusmodi versus nescio quid «permolle» efficere in carminibus vi-

debantur (IX, 4,65) [1], spondiacos perstringit Persius, qui, versibus poetae nescio cuius graecissantis adlatis [2], id, praeter alia, per ironiam dicit «numeris crudis decorem esse et iuncturam additam», si quis «versum cludere» didicerit sic «... costam longo subduximus Apennino» (I,92 seqq.) [3]. Cuius generis hexametros Petronius quoque tum irridere videtur, cum Eumolpum, vulgarem philosophum «grandiloquum et tumidum», bellum civile canentem inducit (Sat. c. 124; cfr. v. 279: «Alta petit gradiens iuga nobilis Apennini») [4].

Quem versuum spondiacorum usum insolentem distichi naturae adversari ac repugnare, vel ex eo effici potest quod apud Tibullum, quem proprio nomine – graece dixeris κατ' ἐξοχήν – poetam elegiacum vocaverim, hexametrorum spondiazonton ne unum quidem exemplum reperias: apud Propertium vero et Ovidium nonnumquam sane in huiuscemodi versus incidimus, sed in hac re hi ipsi nominum propriorum necessitate plerumque coacti iusta atque idonea excusatione fere semper utuntur [5]. Quamobrem in magno errore versari

---

[1]) Quintilianus hoc loco de versuum clausulis agit, quibus bini pedes singulis verbis continentur, «nec solum ubi quinae, ut in his, syllabae nectuntur, *Fortissima Tyndaridarum*; sed etiam quaternae, cum versus cluditur *Apennino* et *armamentis* et *Oreione*», ac postremo monet «ne plurium syllabarum his verbis utamur in fine».

[2]) Cfr. A. Persii Flacci, D. Iun. Iuven., Sulpiciae Satt. rec. O. Iahn. ed. alt. cur. a Fr. Buecheler. Berol. 1886, p. 10.

[3]) Hunc versum Neroni imperatori tribuendum esse, suspicatur Baehrensius. *Fragmenta* cett. p. 368, ad num. 6.

[4]) Quibus modis poetae omnium elegantissimi ac severissimi molossorum et dispondeorum, qui in extremis essent hexametris, nimio ponderi atque nulli elegantiae mederi studuerint, satis probabiliter docet Guil. Meyer. *Zur Gesch. des gr. und des lat. Hexam.* (Sitzungsb. der k. bayer. Akad. der Wiss. 1884) p. 1036.

[5]) Propertii carmina septem versus spondiacos exhibent: qua in re

equidem puto, si certe versus elegiacos ante oculos habemus, Vertelium, qui idcirco spondiazontibus usos esse Romanos adfirmat, ut carminibus «adderent decorem» (l. adl. p. 801; cfr. p. 806), aliosve, qui in oblectamentis aurium hoc artificium numerant, quo «aures mulcere voluerint, non sententiae gravitatem augere [1]»: atque id in distichis certe falsum, inquam, esse vel ideo intellegitur, quod haec verba versus spondiacos efficientia ad unum fere omnia (si Catulli plerosque excipias locos) vel nomina propria sunt vel a graeco sermone petita, ut id in

---

is semel adiectivo latino («Sunt apud infernos tot milia formosarum» III, 26, 3 [II, 28, 49]), ceteroqui nominibus vel adiectivis graecis usus est (I, 13,31; I, 19,13; I, 20,31; II, 2,9; IV [III], 6 [7],13; V [IV], 4,71). Ovidius autem in Fastis, quibus neque manus extrema accessit neque adeo hos ad finem perducere per exsilium ei licuit, d e c i e s (II, 275; 787; III, 105; IV, 567; V, 7; 83; 87 [quod omisit VIERTELIUS in l. mox afferendo]; 535; 731; VI, 341), in Epistulis s. Heroidibus, quae Ovidio vulgo ascribuntur, q u i n q u i e s (Her. VI Hyps., 103; VIII Herm., 71; IX Deian., 133; 141; XII Med., 121), in ceteris autem carminibus in exsilio confectis *numquam*, in Arte amatoria *semel* (III, 147, quem quoque locum praeteriit VIERTELIUS), versibus spondiacis, idque in metro elegiaco, indulsit. Denique in *Amorum* libris, quos praecipuos tractandos sumere nobis in animo est, bis in spondiazontas incidimus, I, 6,53 «Si satis es raptae, Borea, memor Orithyiae» et II, 13,21 «Lenis ades, precibusque meis fave, Ilithyia»; sed, ut in promptu est, in his locis, ut in superioribus, uno excepto (Fast. II, 787), nominis proprii et eius graeci excusatio recipienda est; in clausula autem Her. XII Med., 121 verbum latinum «elisissent» usurpatur, sed praecedente nomine graeco «Symplegades»: ut vere dixisse DAVID RUHNKENIUM appareat, hanc sibi licentiam Ovidium non permisisse «nisi in nominibus propriis vel certe nominibus propriis praecedentibus». Cfr. ANT. VIERTEL. *De versibus poett. Latt. spondiacis*, in *Iahrr. für class. Phil.* Bd 85 (a. 1862) p. 801 seqq. (quae disputatio separatim edita est Lipsiae 1863); W. MEYER. l. adl. p. 1031 seq. et p. 1038; LUC. MUELLER. *d. r. m.* p. 142 seqq.

[1]) Cfr. LUDWICH. l. adl. p. 14 et I. SCHUERMANN. in progr. schol. (Arnsberg, 1859), cuius hic est index: *De genere dicendi atque aetate hymni in Apollinem Homerici*, p. 7.

elegiis durae metri ac linguae necessitati equidem tribuere malim.

Quod vero Latini poetae versibus spondiacis parcius usi sunt quam Graeci [1], in hac re maxime causam quaerendam esse puto, quod Romani metra dactylica a Graecis acceperunt, atque, ut erant imitatores, versuum libertati ac licentiae minus indulgere debebant quam ipsi metrorum inventores. Praeterea ut in prioribus quattuor hexametri sedibus spondeos et dactylos sine discrimine ponere licuit semperque licebit, hoc eodem fere iure nihil obstat quominus fingamus, antiquissimis temporibus in quinto quoque pede spondeum dactylo substitui licuisse. Quod si rarius semper id fecerunt poetae, natura ipsa metri dactylici hoc facere cogebantur, propterea quod illud requiritur (id quod in ceteris quoque metrorum generibus fere constanter fit), ut praecipue in extrema parte vera ac germana versus natura in eorum qui audiunt auribus vel eorum qui legunt mentibus animisque imprimatur atque ab iis statim pernoscatur; hoc enim primum in praeceptis ponitur, ut cuiusvis ordinis metrici finis proprios sibi referat numeros. Ex quo sequitur, ut hexameter qui trocheo vel spondeo (est enim pedum series dactylica catalectica in bisyllabum) optime concluditur et quasi sedatur, id paene flagitare videatur, ut in proxima sede a postrema, dactylo tamquam in iura paterna recepto vel dicam in hisce servato, naturam suam dactylicam patefaciat. Quam eandem fere rationem causamque esse puto quod in posteriore pentametri parte ante semipedem duo meri dactyli esse debent. Cur autem in distichis magis quam in carmine epico versus spon-

[1]) Cfr. Ludwich. l. adl. p. 18 seqq.

diazontas fugerint poetae, causa haec satis probabilis mihi videtur, quod, ut docet Christius, duplex spondeus versum hexametrum tamquam ad quietem ducit, cum contra in distichis cursus, ut ita dicam, rhythmicus in exitu pentametri sedetur ac consistat. [1] Quod denique plerumque voce tetrasyllaba quam trisyllaba spondiazontem finire maluerunt poetae, id nulla alia de causa factum esse nonnullis videtur praeter hanc, ne postrema syllaba vocabuli duarum vel plurium syllabarum, quam necesse esset in arsi seu sub ictu esse, durius asperiusque acueretur, atque hexametri cursus importunius abrumperetur [2]; equidem vero hanc eandem rem non ex alia causa manasse dico, sed id rectius fortasse et apertius sic aliter explicaverim, Romanorum poetas in extrema hexametri spondiaci sede tetrasyllabon trisyllabo saepius praetulisse ut, id quod in universis hexametris ab optimis poetis fere constanter servatur, accentus qui dicitur rhythmicus in altera versus parte (post caesuram primariam) cum grammatico congrueret.

Iam vero cum Catullus nulla plerumque necessitate coactus, sed Alexandrinos vestigiis persecutus, etiam in quinto pede contra eam regulam, ad quam postea optimorum poetarum disticha directa sunt, spondeum admittat, quid est quod miremur, in spondeorum usu multo magis adsiduum esse Catullum quam ceteros, qui post eum floruerunt, elegorum scriptores? Quod partim linguae ipsius latinae naturae,

---

[1]) Guil. Christ. *Metrik* cett. p. 211: «Diese Regel hatte ihren guten Grund, da der doppelte Spondeus den Vers zur abschliessenden Ruhe bringt, in den Distichen aber der Rhythmus erst in dem Pentameter seinen Abschluss finden soll».

[2]) Cfr. Ernst Eichner. *Bemerkungen über den metrischen und rhythmischen Bau, sowie über den Gebrauch der Homoeoteleuta in den Distichen des Catull, Tibull, Properz und Ovid*. Gnesen, 1875, p. 16.

quae, ut ingenium ipsum illius populi et gravitas ferebat, proclivior ad spondeos quam ad dactylos est, et hanc ob rem, quod contra fit in lingua graeca, maiore spondeorum numero abundat quam dactylorum [1], partim rei metrique novitati atque poetae in hoc genere tamquam tironis, qui huic incommodo mederi nesciret, imperitiae tribuendum esse existimaverim. Inter enim versus 384, quotquot sunt in eis Catulli elegiis, quas indicavimus, spondeos inveni 728, dactylos vero 420 [2], ut paullo minus quam dimidio superent dactylos spondei apud Catullum [3]. Prae-

---

[1]) Romanorum gravitatis et constantiae hoc est etiam indicium quod poetae latini caesuram fortem seu virilem maximeque semiquinariam adeo diligere videbantur, ut hanc solam legitimam ac germanam in versu hexametro habuisse Varronem traderet Gellius XVIII, 15,2. Lingua autem graeca, quae, ut populi ipsius maior erat levitas ac volubilitas, maiore tamquam inconstantia ac celeritate fluebat, dactylis magis quam spondeis abundat, neque id solum apud antiquissimos poetas, ut apud Homerum, sed etiam apud posteriores atque adeo apud Graecorum, quos ita vocaverim, Epigonos, velut apud Nonnum, qui nusquam duo spondeos ponit continuos. Hic etiam, praeter alia, caesura illa mollissima ac lenissima, quae κατὰ τρίτον τροχαῖον dicitur, quamque multo saepius, quam Romani, usurpant universi Graecorum poetae, tam frequenter ac paene dixi constanter utitur, ut haec fere una legitima in eius carminibus videatur.

[2]) In horum versuum pedibus enumerandis, cum hexameter et pentameter in binas partes distribui recte dici possint, quorum singulae partes posteriores, si in hexametris paucos admodum versus spondiazontas excipias, immutabiles atque constantes sint, eos tantum pedes consideramus, in quibus pro dactylis spondeos ponere licet, h. e., in hexametro quattuor pedes priores, priores duos in pentametro. Quod idem fecisse video Drobischium - *Ein statistischer Versuch über die Formen des lat. Hexam.* in *Bericht. der phil. hist. Cl. der kön. Sächs. Gesell. der Wiss.* 1866, p. 75 seqq. et, qui eum secutus est, Frid. Car. Hultgrenus - *Observ. metr. in poetas elegiac. Graec. et Rom.* Leipz. 1871, P. I., p. 4 seqq.

[3]) Atque proprie carmen 65 (vv. 24) spondeos continet, secundum eam pedes enumerandi rationem, quam supra indicavi, 49, dactylos 23;

terea quamquam etiam Catullus, ut speciem, ita dixerim, dactylicam adumbraret ac distichis imponeret [1], saepius dactylis quam spondeis incohavit versus, tamen haec ratio non ea est quae cum Tibulli ceterorumque elegiae latinae artificum comparari queat. In versibus enim 384, h. e. in distichis 192, principia sunt dactylica 225, spondiaca vero 159 [2]; quae ratio quam differat a ceteris poetis suo loco videbimus.

In his vero distichis genera hexametrorum, in quibus dactylum tres spondei excipiunt, quod sic fere indicare possumus «*dsss*», et pentametrorum, in quibus duas priores regiones dactylus et spondeus hoc ordine «*ds*» occupant, longe superant ceteras omnes formas, cum proximum locum teneat in distichorum hexametris forma «*ssss*», in pentametris «*ss*» : adeo ut lex ab Hultgreno condita (l. adl. p. 16) vera reperiatur, «principia pentametri respondere principiis hexametri seu hexametrum qui est in capite dactylicus adiungere sibi pentametrum eodem modo structum», et contra (p. 12) «hexametrum spondiacum

---

in carmine 66 (vv. 94) spondei sunt 169, dactyli 113; in c. 67 (vv. 48) spondei 92, dactyli 52; in c. 68 (vv. 160) spondei 302, dactyli 174; in c. 76 (vv. 26) spondei 49, dactyli 29; in c. 96 (vv. 6) spondei 13, dactyli 5; in c. 99 (vv. 16) spondei 35, dactyli 13; in c. 101 (vv. 10) spondei 19, dactyli 11.

[1]) Sic enim ego intellego quod de pentametro disputans Luc. Muellerus *d. r. m.* pag. 145 dicit, «*haud obscuram ob causam* eam perfectissimam indicari esse pentametri speciem, qua initio metri dactylus collocetur, sequenti parte spondeus».

[2]) Quae in singulis elegiis ita separatim distributa inveni: in carmine 65 principia sunt dactylica 13, spondiaca 11; in c. 66 princ. dact. 63, spond. 31; in c. 67 princ. dact. 26, spond. 22; in c. 68 princ. dact. 93, spond. 67; in c. 76 princ. dact. 15, spond. 11; in c. 96 princ. dact. 2, spond. 4; in c. 99 princ. dact. 7, spond. 9; in c. 101 princ. dact. 6, spond. 4.

adiungere sibi pentametrum spondiacum [1]»: quod rectius fortasse et magis perspicue sic ego, quod ad hanc rem attinet, constituere atque explicare velim: in Catulli distichis multo plures esse spondeos quam dactylos, sed ita tamen ut initia dactylica, et in pentametrorum capitibus et in hexametrorum, versuum numerum a spondeis incipientium exsuperent.

In his autem Catulli carminibus elegiacis priorem pentametri partem ex meris dactylis *undevicies*, ex meris spondeis *sexagies* constare repperi.

Hac quoque in re Catullum ab optimis elegiae latinae scriptoribus differre et Alexandrinorum poetarum imitatorem esse apparet, quod in pentametrorum clausulis (taceo enim de hexametris, de quibus sane nunc non attinet singillatim disputare [2]) iusto saepius vocabulis trium, quattuor, quinque syllabarum utitur [3]: quod quantum ab-

---

[1]) Cfr. praeterea eius *Statistische Untersuchungen des Distichons* p. 3 (in *Bericht. der phil. Cl. der kön. Sächs. Gesell. d. Wiss.*, 1872).

[2]) Nam inter hexametrum epicum (qui a nostro proposito alienum est) et elegiacum nihil paene interesse et iam supra ipsi monuimus et nuper demonstravit Hultgrenus l. adl. (*Observ. metr.* cett.) P. post. pag. 1 seqq., Catulli, Ovidii, Tibulli (cuius in carminibus carmen quoque versu heroico conscriptum incerti, ut videtur, poetae in Messallae laudem traditum est) hexametris epicis et elegiacis in iudicium vocatis atque inter se comparatis. Praeter alia, in hexametrorum clausulis elegiacorum saepius quam in epicorum trium syllabarum verba frequentiora sunt quam duarum: cuius rei causam nullam hac veriorem esse puto, quod cum longe optime vocabulo bisyllabo claudatur distichon, pauciores praesto erant voces bisyllabae ad hexametrum elegiacum concludendum (cfr. Hultgr. l. adl. p. 3): egregie enim finiri putabant hexametrum aut vocabulo dactylico, insequente trochaico (vel spondiaco), aut bacchio (vel amphibracho) antecedente trochaico.

[3]) Atque adeo septem syllabarum vocabulo nominis patronymici, quo totam pentametri partem posteriorem explevit, usus est Catullus 68,112: «Audit falsiparens Amphitryoniades». Huic fere similis est versus 68,74, cuius hemistichium prius vocabulo «Protesilaeam» contine-

sit a norma illa, ad quam poetae posteriores, iam Tibullo praeeunte, Ovidio vero maxime legem sanciente, disticha elegiaca direxerunt, ut pentameter verbo bisyllabo numquam fere non concludatur, infra demonstrare studebimus. Qua in re in iis Catulli carminibus elegiacis, quae singillatim examinanda suscepi, haec fere sunt animadvertenda: Vocabula trium syllabarum, h. e. anapaesta, in pentametrorum clausulis inveniuntur quadraginta tria, quattuor syllabarum, h. e. choriambica, quinquaginta sex, quinque syllabarum decem [1], cum reliquae clausulae, exceptis clausulis unius syllabae carm. 76,8 et septem syllabarum carm. 68,112, omnes bisyllabae sint [2]. Hae vero

---

tur. Etiam cfr. apud. Propertium, IV (III), 6 (7), 22 «Athamantiadae», IV (III),13 (14),14 «Thermodontiacis», et apud Ovidium, Ib. 506 «Berecyntiades». In cuius aliusve generis verbis sesquipedalibus utendis, magna sonantibus illis quidem sed tamen inanibus, quae propter nominum propriorum necessitatem plerumque excusantur, nemo, quantum scio, in metro elegiaco eo processit ut ex duobus vocabulis pentametrum componeret: quod in posterioribus poetis fecit Cl. Rutilius Namatianus I, 450: «Bellerophonteis sollicitudinibus». De clausulis autem monosyllabis apud Catullum mox infra dicemus.

[1]) Quae clausulae sic proprie distributae sunt in singulis elegiis: clausulae trium syllabarum reperiuntur in carmine 65 quattuor; quattuor syll. tres; quinque syll. una; — in c. 66 claus. trium syll. sex; quattuor syll. viginti sex; quinque syll. tres; — in c. 67 claus. trium syll. sex; quattuor syll. quattuor; quinque syll. tres; — in c. 68 claus. trium syll. viginti sex; quattuor syll. tredecim; quinque syll. duae; — in c. 76 claus. trium syll. una; quattuor syll. tres; quinque syll. nullae; — in c. 96 claus. trium aut quattuor syll. nullae; quinque syll. una; — in c. 99 claus. trium aut quinque syll. nullae; quattuor syll. quinque; — in c. 101 claus. trium syll. una; quattuor syll. duae; quinque syll. nullae.

[2]) Quibus in locis enumerandis nullam enclitici *es* aut *est*, quod elisione vel per aphaeresim verbo superiori adhaereat (cfr. Christ. *Metrik* cett. p. 208 seq.; Zambaldi. *Metrica* cett. p. 250), rationem habui: ut 66,10 «Levia protendens brachia pollicitast» pentametrum vocabulo quattuor syllabarum, 67,14 «Ad me omnes clamant: ianua culpa tuast»

clausulae si inter centenos versus pentametros quotae sint scire volumus, id ex iis quae nunc appono apparebit: In pentametris enim 192 clausulae trium syllabarum hanc fere praebent rationem: 22,34 %, quattuor syllabarum hanc: 29,16%, quinque syllabarum hanc: 5,20 %. Ex quo conficitur, ut duarum syllabarum clausulae pentametrorum, quae in universis, quae consideravimus, Catulli carminibus elegiacis non plures sunt quam 81, cum postea apud Tibullum, maxime vero apud Ovidium, clausulae bisyllabae solae paene legitimae sint habitae, hanc fere exhibeant rationem: 42,18 %; ut non plus fere quam alter et quadragesimus quisque versus pentameter vocabulo bisyllabo concludatur [1].

Praeterea distichorum ordines metrici (ordines metricos distichorum eos intellego qui et in hexametro et in pentametro ex caesura fiunt) similiter si finiuntur, efficitur ut una quaedam spiritus ac soni intentio oriatur, quae graece *μονοτονία* dicitur, ut languescat omnique varietate careat oratio; qua in re peccavit nonnumquam Catullus, ut 67,21 seq.; 68,31 seq. cett., ubi uterque pentametri ordo et prius hexametri hemistichium vocabulo

---

voce bisyllaba finiri statuam (cfr. LACHMANN. in *Comm. Lucr.*, p. 65 seqq., ad I, 993). Aliter rem se habere puto 76,8: «Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt»: quo in versu clausulam esse monosyllabam, ut equidem censeo, dicendum est, cum et non fiat elisio et vox enclitica *que* praecedat et *sunt* arsis ictu acuatur; quamquam alii, verbi gratia LUC. MUELLERUS — *Rei metr. Poett. Latt. praet. Pl. et Ter. Summarium.* Petrop. 1878 pag. 46, monosyllabum «sunt» hoc loco iure enclisis excusandum esse censent.

[1]) In hasce pentametrorum clausulas numeris persequendo praetaerii, ut res erat parvi aut nullius momenti, clausulas duas, quas supra indicavi, quarum altera septem syllabarum, altera monosyllaba est. Sex vero syllabarum clausulam in horum Catulli carminum elegiacorum pentametris nullam repperi.

anapaesto clauditur; quod numquam facere ausi sunt neque Tibullus neque Ovidius (cfr. contra Prop. I, 18,23 seq.; III [II], 13 [20], 7 seq.: sed hoc distichon nominum propriorum excusationem habet); etiam vocabula choriambica eadem ratione usurpavit Catullus 66,93 seq.: « Sidera corruerint utinam! coma regia fiam: — Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion!»; ubi tamen in pentametro alterum vocabulum externum ac peregrinum est, alterum nomen proprium.

Ut alia, quae a severiorum poetarum elegiacorum usu prorsus aliena sunt, in Catulli carminibus elegiacis persequamur, hac in re quoque eum Graecorum maximeque Alexandrinorum poetas imitatum esse perspicuum est, quod saepe plurium distichorum continuatione serieque verba ac sententias miscet et confundit. Cum enim, id quod, ut supra vidimus, veteres grammatici ipsi animadverterunt, haec universa fere sit distichi elegiaci lex, ut in singulis distichis singuli pentametri plerumque et orationem finiant et sententiam, mirum est quam crebro haec lex a Catullo violetur vel, ut rectius loquar, quantum absit ut in hac re Catullus, qui huius legis praesensionem ac suspicionem fere nullam habere videatur, cum elegiae latinae principibus comparari possit. Is enim saepissime non solum verborum complexionem unam per plura disticha volvere, sed etiam hanc nonnumquam in medio vel pentametro vel hexametro subsistere passus est, vel a medio pentametro orsam sententiam per hexametrum circumflexam in medio rursus pentametro distichi subsequentis finiit. Quod Catulli carmina elegiaca vel cursim legenti in promptu manifestumque est. In carm. enim 65, – ut nonnulla exempli causa adferam–, quod ex 24 versibus constat, nullum fere est disti-

chon quod secundum eam tamquam legitimam quam diximus carminis elegiaci normam terminetur. Excéptis enim versu 8, qui valida interpunctione notatur (quamquam post versum 8 quaedam excidisse etiam ex versus 9 exordio: «Adloquar cett.», per se patet[1]), et versu 22, qui minore vi interpungitur, reliqua disticha nulla prorsus aut debili admodum interpunctione distinguuntur. Iam vero cum taceam de longiore versuum continuatione atque am-

---

[1]) In MAUR. HAUPTII editione, a IOH. VAHLENO recognita (Ed. V, Lips. 1885), atque in aliis editionibus post versum 8 nulla ascripta est lacunae nota, sed versum 8 subsequuntur sex illi versus praestantissimi, quibus Catullus tamquam naeniis tristissimis fratrem mortuum lamentatur: «Tu mea tu moriens... adempte mihi»: quos ex aliis Catulli carminibus depromptos huc quidam, auctore LACHMANNO, referendos esse censuerunt, ut lacunae damnum compensaretur. Quod autem versus 9-14 post carminis 101 versum sextum, nonnulli, auctore HAASIO (in *Miscell. phil.* Vratisl. 1861 III, p. 13 seqq.), inserendos esse opinati sunt, LUCIANI MUELLERI verba ad nostram rem optime facientia (cfr. p. 83 seq. et adn. 1) mutuamur sic disputantis: «Mitto quod per se videbitur permirum quanam causa sit effectum, ut versus illi tam longe aberrarent a sua sede. Sed quod dixerunt quidam eosdem si retinerentur in carm. 65 nimis retardare orationis cursum, *obliti sunt illi similes parentheses et alibi et maxime in elegis Catulli occurrere complures.* Et iniecta memoria fratris, cuius omni occasione cum maxima pietate celebravit memoriam, eum paullo longius aberrasse ab argumento carminis quid hercule hoc loco magis mirum quam in c. 68 (19-26.89-100)?» Deinde haec generatim atque universe observari iubet: «Omnino notandum cantores Euphorionis Alexandrinis poetis obsecutos longiores digressiones adeo non reformidare, ut potius vehementer probent». *Praef.* p. XXXII seq. Poetae enim Alexandrini, quos imitatur Catullus, in hoc digressionum usu multi erant, quippe qui acri spiritu et vi carentes his remediis nimis frigide et putide exquisitis sincerum tamquam colorem aspergere ac verum sanguinem se suis carminibus infundere putarent, ut lyrico quasi impetu abrepti verbis rebusque redundantibus resistere non posse viderentur. Quocirca lepide ille quidem et vere Alexandriam nominat «den Wintergarten der griechischen Poesie» C. P. SCHULZIUS. *Röm. Elegik. Eine Auswahl* cett. Berlin. 1879 *Einl.* p. 5).

bitu, cuius prior pars a particula «*Etsi*» (vv. 1 seqq. – πρό-τασις), altera a particulis «*Sed tamen*» (vv. 15 seqq. – ἀπό-δοσις) incipit, quibus etiam verba inde a v. 4 «... tantis fluctuat cett.» usque ad versum 14 per παρένθεσιν seu interclusionem media interponuntur [1], quid dicam de versibus 10–11, in quibus verbum «*Aspiciam*» hexametro alterius distichi, pronomen autem obiectum «*te*» pentametro distichi superioris continetur? Verbum ipsum «*adloquar*» (v. 9), cum nullo pacto cum iis quae proxima sunt convenire possit, necesse est cum versu vel versibus superioribus, qui lacuna hausti sunt, ante coniunctum fuisse statuamus. Omnium vero longissima distichorum complexio per versus quattuordecim in carmine 66 volvitur, in qua, ut leviora alia quaedam missa faciam, id maximam videtur habere offensionem quod nomini «*caesariem*», quod est in pentametro distichi superioris (v. 8), verba apposita «*fulgentem clare*» hexametri subsequentis (v. 9) respondent; praeterea pronomen «*qui*» primi versus post quinque demum versus verbis «*Idem... ille Conon*» declaratur et definitur. Cuius generis, ne in re molesta ac taedii plena pluribus verbis commoremur, alios satis habeo locos nude ac simpliciter indicare, ut vv. 24–

---

[1]) Eadem fere verborum collocatio ratioque distichorum est 66,69-78, ubi inter duas orationis partes, quae sibi per πρότασιν et ἀπόδοσιν respondent (vv. 69 seqq. «Sed quamquam cett.» et vv. 75 seqq. «Non his tam laetor rebus cett.»), verba «Pace tua fari cett.» (vv. 71-74) per παρένθεσιν interiecta sunt. Qua in re quantum periodorum, quas vocant, conformatio et structura Catulli differat a simplici minimeque artificiosa Tibulli, qui ab omni Alexandrinorum imitatione alienus plane suus est, satis elucet ex tabellis et ex iis quae adnotavit Aemilius Clemens. *De Catulli periodis.* Guelf. 1885 p. 39 seqq. Cfr. etiam Otto Franke. *De artificiosa carminum Catullianorum compositione.* Gryphisw. 1866.

25; 52-54; 60-61; 65-67; 79-83; 84-85; 89-91; c. 67,1-3; 68,11-13; 15-17; 27-30; 37-40; 70-72; 73-75 cett. In longioribus autem distichorum complexionibus, praeter eas quas attulimus, hae sunt numerandae: 65,15-24; 66,59-68; 68,1-10; 57-66; 70-76; 79-92; 105-116; 119-130; 76,1-6; totum carmen 96; 101,1-6.

Etiam subiciam locorum numeros eorum, de quibus nunc quaerimus, Catullianorum carminum, ubi inter singula disticha aut nulla [1] aut debilis aut gravis interpunctio est. In versibus enim 384, vel, ut verius dicam, in versibus 368, i. e. in pentametris 184 (nam ex octo illis carminibus extremum quodque distichon deducendum est, cum post hoc nulla alia interpunctio esse possit nisi plena), interpunctio neglecta est vicies ter [2], fortis interpunctio invenitur ter et octogies [3], cum in ceteris locis, qui sunt 78, disticha leniter distincta sint [4]: hoc est, in distichis 184 duodena centesima (rectius 12,50 %) interpunctione nulla, quadragena quina centesima

[1]) Cum longiores distichorum complexiones mittam, ubi saepius neglegitur interpunctio, tum quoque nullam statuo interpunctionem esse eum, etiamsi comma sit post extremam pentametri partem, tamen non prius logice et grammatice, ut ita brevitatis ac perspicuitatis causa loquar, expletur sententia quam ad proximum distichon perventum est.

[2]) Atque proprie in carmine 65 ter; in c. 66 octies; in c. 67 semel; in c. 68 undecies; in ceteris carminibus elegiacis numquam.

[3]) Quas interpunctiones in singulis carminibus elegiacis sic distributas inveni: in carm. 65 sunt tres; in c. 66 viginti et una; in c. 67 tredecim; in c. 68 triginta tres; in c. 76 octo; in c. 96 nullae; in c. 93 quattuor; in c. 101 una.

[4]) In reliquis Catulli carminibus, metro elegiaco compositis, quae ad genus epigrammaticum propius accedunt quam ad elegiacum, crebriores aptioresque cernuntur, quae res facilis est, ut in genere epigrammatico, ad intellegendum, distichorum conclusiones.

(rectius 45,10 %) interpunctione forti, denique quadragena bina centesima (rectius 42,39 %) debili interpunctione notantur [1].

Sed ad alia pergamus. Quamquam, ut supra dictum est, per synaloephen vel elisionem syllabam detrahere in

---

[1]) Quam vero Catullus in sententias pluribus distichis «lassas onerantibus aures» impediendo modum non retinuerit, ut poetas graecos atque imprimis Alexandrinos ipsos hac in re superaret, colligi fortasse potest ex hoc Callimachi loco cum Catulli versibus comparato (dummodo ne ea quae coniectando supplevit O. SCHNEIDERUS, ut demonstraret «vix quicquam Callimachum scripsisse quin Catullus expresserit» *Callimachea*. Lips. 1873, Vol. II, p. 149, vera esse putemus), ubi Catullus duorum distichorum ambitu, quorum altero alterius sententiam, omni interpunctione inter duo disticha sublata, explet, ea reddidit quae Callimachus uno disticho significaverat:

Callim. Εἰς τὸν Βερον. πλόκ. Anth. Lyr. Ed alt. cur. Th. BERGK. p. 154, n. 106:

> Ἦ με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερονίκης
> βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Catull. 66,7 seqq.:

> Idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
> E Beroniceo vertice caesariem
> Fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
> Levia protendens brachia pollicitast.

Cfr. etiam Callim. n. 100: ‒ ˘ ˘ ‒ Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος, — γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν, cum Cat. vv. 48 seqq: «Iuppiter, ut Chalibon omne genus pereat, — Et qui principio sub terra quaerere venas — Instituit ac ferri frangere duritiem!»

Itaque quod NAEKIUS libri de Callimachi Hecale pag. 9 doctissime exposuit de propria Callimachi «*ubertate*» seu «*loquacitate*», hisce certe locis verius de Catullo, eius sive interprete sive imitatore, quam de Callimacho ipso dicendum est. Plurium autem versuum ambitum et comprehensionem, quam, a grammaticis verbo sumpto, appellant, ut supra dixi, «periodum», sic ego intellego ut statuam tum fieri periodum cum vel unum enuntiatum vel, quod saepius usu venit, plura enuntiata (et primaria et secundaria) non uno disticho, sed vel tribus versibus vel pluribus continentur. Ceterum de parte ea rei grammaticae et metricae, quam nunc dicunt «periodologiam», cfr. CLEMENS. l. adl. cap: «Quid sit periodus» p. 4 seqq.

caesurae sede metro nec in pentametro nec in ceteris versibus adversatur aut officit (finiri enim iudicatur vocabulum syllaba quae est ante elisionis locum), tamen id constat, hanc licentiam elegantissimis poetis elegiacis minus esse probatam; Catullus autem hac in re quoque minus diligentem fuisse ac religiosum quam ceteros, ex iis efficitur exemplis quae sedulo collegi et nunc appono. Fit enim elisio apud Catullum in pentametri incisione 67,44: «Speraret nec lin*guam* esse nec auriculam»; 68,10: «Muneraque et Mu*sarum* hinc petis et Veneris»; 56: «Cessarent tristiqu*e* imbre madere genae»; 82: «Quam veniens una atqu*e* altera rursus hiemps»; 90: «Troia virum et virtut*um* omnium acerba cinis»; 99,12: «Non cessasti omniqu*e* excruciare modo»; 101,4: «Et mutam nequiqu*am* adloquerer cinerem [1]».

Episynaloephes autem exempla versuum hypermetrorum in hisce Catulli carminibus elegiacis nusquam prorsus invenias, idque dicendum (quam rem supra leviter attigi) de universo metro elegiaco [2]. Quod vero apud Catullum

---

1) Cfr. in epigrammatum pentametris: 71,6 «odor*e* ipse»; 73,6 «atqu*e* unicum»; 77,4 «eripuist*i* omnia»; 87,8 (75,4) «amar*e* omnia»; 88,6 «lymphar*um* abluit»; 90,4 «Persar*um* impia»; 91,10 «quacumqu*e* est»; 95,2 «nonamqu*e* edita»; 97,2 «cul*um* olfacerem»; 104 4 «cum Tappon*e* omnia». (EICHNERUS, *Bemerkungen* cett. p. 4, huc refert 91,2 «In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore»; sed perperam ille quidem, meo certe iudicio, cum hoc loco elisio non fiat inter utrumque pentametri hemistichium, sed in priore tantum, atque ea extrema, versus parte). A qua licentia prorsus abhorruerunt Tibullus et Ovidius; id contra bis admisit Propertius (I, 5,32 «...impun*e* illa...»; IV (III), 22,10 «...Antaeiqu*e* Hesperidumque...»).

2) Ne traiectionis quidem exemplum ullum reperitur apud poetas Romanorum elegiacos. Qua in re conferenda sunt quae de nomine proprio T u t i c a n i facete ait Ovidius ex P. IV, 12, 1 seqq. (maxime v. 7 seq.); cfr. 14, 2. Episynaloephen autem et traiectionem non omnino fugerunt elegiographi Graecorum; cfr. LANGEN. l. adl. p. 2 seq.

in epigrammatis semel hexameter et pentameter quasi per synaphiam, ut in metris συνηρτήτοις s. conexis, inter se cohaerere videntur (115,5–6 «...saltusque paludesque-Usque...»), id non tanti est, ut universam illam distichorum legem infirmet aut tollat; nam et, si vere ita scripserit Catullus, unum hoc sit exemplum universae illi regulae ac normae contrarium, et, quod maioris est momenti, ea lectio non admodum certa est, cum in nonnullis codicibus, quamquam non illi quidem optimae notae sunt, scriptum legitur etiam: «saltusque paludes» vel «altasque paludes» (quod probarunt ac receperunt Froehlichius – *Vorschläge zur Berichtig. des Textes* cett. Monach. 1849, et Boehmius–*Quaest. Cat.* Bonn. 1862): hinc hominum doctorum coniecturae profluxerunt, ut Rossbachii «latasque paludes», Bergkii «salsasque paludes», aliorum [1]. Quod vero Adolphus Reeckius (*De Catullian. carm. re gramm. et metr.*

---

[1]) Fateor omnium maxime mihi arridere Rossbachii coniecturam, quae a codice *Datano* (qui praebet *altasque*) non multum recedit (quamquam huius codicis auctoritatem, quam post Lachmannum habebat, imminuit ac labefactavit Baehrensius); praeterea totius loci sententiae optime respondet. Certe vulgata lectio *saltusque* nullo pacto, ut equidem opinor, ferri posse videtur: nam et *saltusque* a verbo *saltu*, quod antecedit, profectum esse veri simile est, et *saltus* post *silvas* supervacaneum fere dixeris. Igitur in *saltusque* adiectivum aliquod latere puto, quod cum *paludes* coniungatur et verbis superioribus *ingentes silvas* congruat, ut *latasque* (Rossb.), *vastasque* (Pleitn. et Ries.) vel etiam, ut ipse conicio, *magnasque*, cui adiectivo ea, quae sequuntur, *magna... maximus... magna* quasi respondere et concinere videantur. Neque abest suspicio, ut etiam licet conicere, Catullum scripsisse *tardasque* vel *lentasque;* quod haberi potest tamquam *epitheton ornans* paludum, ut de harum aquis dixit Vergilius Georg. IV, 479; cfr. *stantes paludes* apud Horatium, Carm. III, 27, 9. Bergkii autem coniecturam *salsasque* omnino reiciendam esse censeo, namque adiectivum quod est *salsus* neque paludum *epitheton ornans* haberi potest, neque in loci sententiam apte quadrat: quamquam id a vulgata codicum lectione (= *saltusque*) quam minime discedere patet.

Vratisl. 1872) p. 72 ad huius loci lectionem plerisque libris traditam retinendam, nullam aliam adfert causam praeter hanc, quod Catullus certum episynaloephes exemplum alio quoque loco, 64,298--299, praebeat, id oblivisci videtur vir diligentissimus, altero loco metrum esse heroicum, altero elegiacum [1].

Nemo etiam ignorat id scriptores rei metricae universe docere, sedulo cavendum esse, ne cuiusque ordinis metrici finis ex vocabulo monosyllabo constet (dummodo ne sit encliticum et per elisionem proximo ac superiori verbo adhaereat aut ad rem effingendam et exprimendam adhibeatur). Quam legem ab optimis Romanorum poetis elegiacis plerumque observatam Catullum haud raro maxime in prioris pentametri parte violasse, ex iis intellegitur locis quos, iis exceptis, in quibus monosyllabum collidatur, appositurus sum. (Attamen haec fere omnia ideo tolerabiliora videntur

---

[1]) Risui autem movendo comparata sunt quae scripta legimus in *Comment.* ad *Poésies de Catulle* trad. en vers franç. par Eug. Rostand avec un Comm. crit. et expl. par E. Benoist et Em. Thomas. Paris 1890, Vol. II, p. 807: «on défend ici l'hypermètre en disant qu'à la fin de l'énumération, il donne bien l'idée d'espaces prolongés à l'infini». Quae nimirum eadem fere ante scripserat Ellisius - *A Commentary on Catullus* Oxf. 1889. Sec. Ed. p. 499 « The hypermetrical *que* of *paludesque* conveys the idea of infinite continuity, like Vergil's *pugnent ipsique nepotesque*. Aen. IV, 269». Hexametri hypermetri (hoc nomine in vulgus accepto usus sum, quamquam haec aliena verbi significatio esse videtur; cfr. Luc. Muell. *d. r. m.* p. 293) nullum aliud exemplum in distichis inveni, nisi in quodam *in Macrinum* epigrammate, cuius hi sunt extremi versus: «nam pius et felix poterat dicique viderique: — impius infelix est et erit merito». *Fragm.* cett. ed. Baehr. p. 380, n. 7, vv. 5-6; cfr. etiam *Anth. Burm.* cett. II, n. 111 et *Burm.—Meyer.* cett. I., n. 800. Sed hic quoque, etsi plura verba in hac re nullius momenti impendere pretium operae esse non videtur, de loci lectione ambigitur: nam et Baehrensius prius ediderat *dici atque videri* (ib. in app. crit.) et hanc lectionem exhibent nonnulli codices: *dici atque videri — cui imperium* vel *imperium;* cfr. Baehr. l. adl. et *Anth. Burm. — Meyer.* II, p. 204, in Adn. ad num. 800.

quod monosyllabum ante monosyllabum est, ut, id quod ipsi docent rei metricae scriptores, minus aures offendat monosyllabum in extremis hemistichiis positum): 66,28 «... non ...»; 52 «... se.. »; 68,8 «... mens ...»; 30 «... non est turpe... » (quo loco *est* minime encliticum considerandum esse puto, cum praeterquam quod non eliditur, tertiae arsis ictu feriatur; cfr. in extrema posterioris hemistichii parte «... dictaque factaque sunt » et quae ad hunc locum adscripsimus ad p. 79 seq. adn. 2 [1]); 52 «... me ...»; 156 «.. qua...»; 76,2 «... se...»; 8 «... te ...» 10 «...cur... [2]».

Paullo autem duriorem asperioremque esse Catullum in verbis elidendis (taceo de elisionibus iis horridulis quas in caesura pentametri fieri iam vidimus, et de aliis quae levio-

---

[1]) Nullam igitur rationem habeo harum vocum monosyllabarum: aut in extr. pent., ut 66,10 «... pollicita est (cfr. v. 34); 67,14 «...culpâ tua est»; 68,30 «...miserum est»; 68,160 «...dulce mihi est»; aut in med. pent., ut 68,22 «...una tota est nostra...» (cfr. v. 94); 46 «... facite haec charta...»; 154 «...solita est munera...»; 76,14 «... verum hoc qua lubet...»; 16 «... sive id non pote...»; 26 «.. reddite mi hoc pro...»: in omnibus enim his locis aliisque id genus vel propter elisionem vel propter elisionem et enclisin verbum monosyllabum in unum tamquam corpus cum vocabulo quod praecedit confundi atque coalescere dici potest.

[2]) Cfr. in epigrammatis 70,2 *se;* 72,2 *me;* 6 *es;* 77,10 *sis;* 81,2 *tu;* 82,4 *quid;* 83,4 *quod;* 6 *est;* 86,2 *sic;* 87,2 *me;* 91,6 *me;* 92,2 *me;* 93,2 *sis;* 106,2 *se;* 107,2 *est;* 110,4 *fers;* 114,2 *res*. Cuius generis exemplorum omnium maxime intolerandum est 111,2 «Nuptarum laus e laudibus eximiis»; nam praeterquam quod in extrema prioris hemistichii parte monosyllabum est, caesura eae voces dividuntur quae arctissime inter se iungi debeant, ut praepositio et nomen hac elatum. Clausula vero monosyllaba in posteriore pentametri parte abusus est Martialis; cfr. Muell. *d. r. m.* p. 225. Exitus autem pentametri monosyllabus a Graecis quoque studiose vitatur: quod poetas elegiacos decore elegantiaque commotos observasse apparet, nam cum 'distichi naturam eiusmodi esse sentiamus ac videamus ut numerus in pentametro ad finem properans placide quasi defluat, facile intellegitur, voce monosyllaba in fine posita versus tenorem cursumque tamquam offendi atque asperius interrumpi.

ra videntur), ex his constat exemplis, quae ex illustrioribus gravioribusque delegi: – in priore hemistichio seu ante caesuram: 65,22 «Dum adventu...» (intoleranda sane verborum collisio quae fit in arsi, et ea in monosyllabo in *m* litteram exeunti atque in primo versus pede [1]); 36 «Captam Asiae Aegypti»; 76 «Afore me a dominae»; 67,14 «Ad me omnes:..»; 30 «Qui ipse...»; 42 «...cum ancillis»; 68,4 «Sublevem et a mortis»; 14 «Ne amplius...»; 16 «...cum aetas»; 26 «Haec studia atque omnes»; 90 «Troia virum et virtutum || omnium...»; - in posteriore autem hestichio seu post caesuram (id quod perraro admittitur a ceteris [2], atque adeo in quibusdam certisque locis fere numquam fit: ut Ovidius numquam ibi verbum elisit in vocalem longam aut in *m* litteram desinens [3]): 68,90 «virtutum || omnium acerba cinis»; 100 «terra aliena solo»;

[1]) Idem etiam in primo hexametri pede saepius peccasse Catullum, quod facere numquam ausos esse ceteros poetas elegiacos principes, optime docuit et exemplis prolatis confirmavit Franc. Froehdius. *De hexam. lat.* in *Philol.* XI (1856) p. 533 seqq.

[2]) Quod vero elisio patientius et commodius in priorem pentametri partem recipitur, quam in posteriorem, id ex hoc factum esse videtur (ut in ceteris fere versuum generibus), quod cum elisione pentametri cursus, ut dicam ita, rhythmicus retardetur, id magis in priore versus parte, quae liberior est, quam in posteriore, quae severioribus legibus astringitur, tolerandum esse videbatur. Attamen ea inconcinnior asperiorque habebatur elisio quae in primam versus syllabam incideret, propterea quod statim in principio numerum turbari atque obscurari minime placebat.

[3]) Constat enim id sibi Ovidium proposuisse, ut in syllabis in *m* litteram finientibus elidendis has eodem loco haberet quo longas vocales. Cfr. Luc. Mueller. *Ueber die Elision am Ende des lat. Hexam.* in *Iahrbuch. für class. Phil.* LXXV (1857), p. 482 et Io. Draheim. *De arte Ovidii* in *Herm.* XIV (1879), pag. 255. Praeterea in pentametri prima posterioris hemistichii syllaba non admittunt boni poetae elisionem: quam legem nonnumquam migrat Catullus, numquam Ovidius, semel Tibullus (I, 4,56) et Propertius III (II), 6(14), 10. Cfr. Froehd. l. adl. *De hex. lat.* cett. p. 534.

106 «dulcius atque anima»; 152 «atque alia atque alia»; 158 «mi omnia nata bona»; 76,4 «numine abusum homines»; 99,4 «me memini esse cruce [1]». Elisionis vero exempla in tertia arsi (in qua sede, ut in quarta, Ovidius eam omnino fugit) haec fere sunt (voces encliticas *es*, *est* praeterii, cum harum elisio in extremo hemistichio priore non maiorem offensionem habere videatur quam in extremo hemistichio posteriore): 68,46 «... et facite haec»; 76,14 «... verum hoc»; 16 «... sive id»; 26 «mi hoc». Duplex elisio, in tertia et quarta arsi, 68,82 «... una atque altera... [2]».

In aliis denique (ut haec summatim indicemus), quae ab optimorum poetarum more et consuetudine abhorrent, haec etiam paene sunt notanda.

Nemo non scit id diligentissimos poetas elegiacos, quorum teretes ac religiosae erant aures, atque in primis Ovidium sedulo curasse, ne umquam pentameter (quamquam ex universa numerorum lege ultima syllaba anceps et est et habetur) syllaba brevi *aperta*, h. e. littera consonanti non conclusa, terminaretur: cuius rei causa haec fuit, ut videtur, quod eiusmodi syllaba non tantae gravitatis ac ponderis habebatur ut integri pedis vicem explere posse putaretur (cfr. Christ, p. 208; Zambaldi, p. 249) [3].

---

[1]) Cfr. in epigrammatis, ut alia eius generis mittamus, 73,6 «Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit»: qui pentameter elisionum et frequentia et asperitate versus non esse videtur. De elisionis usu apud Catullum cfr. I. BAUMANN. *De arte metr. Cat.* Landsb. 1881, p. XIX seqq. et maxime de monosyllabis elisis p. XXI.

[2]) Cfr. quae proprie de elisionibus in extrema pentametri sede monuerunt LACHMANNUS in *Comm. Lucr.* I. adl. p. 66 et LUC. MUELLERUS, *De Ovid. Amor. libr.* in *Phil.* XI (1856) p. 69 et I. adl. *Ueber die Elision* cett. p. 481 seqq., qui quod LACHMANNUS de posterioris hemistichii fine indicavit, id etiam ad prioris exitum pertinere docuit.

[3]) Cfr. EICHNER. *Bemerkungen* cett. p. 26: «Zweitens verlangt es

Apud vero Catullum pentameter syllaba brevi in vocalem cadenti atque, id quod sane gravius, in voce plus quam bisyllaba atque adeo saepe voce trisyllaba (ut versus vocabulo trium syllabarum et earum brevium necessario finiatur) hisce locis concluditur: 67,2 «Iuppiter auctet ope»; 6 «facta marita sene»; 10 «dicitur esse mea»; 42 «haec sua flagitia»; 46 «rubra supercilia»; 68,52 «corruerit genere»; 58 «prosilit e lapide»; 70 «candida diva pede»; 152 «atque alia atque alia»; 156 «lusimus et domina»; 158 «mi omnia nata bona»; 76,16 «non pote sive pote»; 99,4 «me memini esse cruce [1]».

Praeterea ut in pentametro pedem secundum vocabulum vel dactylicum vel, quod ineptius duriusque, spondiacum expleret, id veteres optimique poetae elegiaci numquam sibi sumpserunt, uno excepto Catullo, qui semel in carminibus elegiacis paullo liberius scripsit 76,26 «O di, reddite mi hoc pro pietate mea», ter in epigrammatis 91,6 «hanc tibi, cuius me magnus edebat amor»; 92,2 «De me: Lesbia, me dispeream nisi amat»; 93,2 «Nec scire utrum sis albus an ater homo» (quamquam in hoc versu huiusmodi licentiae asperitas elisione vel potius col-

---

der volle und bestimmte Abschluss der Reihe, dass die letzte Silbe derselben... vocalisch lang oder consonantisch geschlossen sei, damit der Ton nicht *gleichsam in der Schwebe bleibt*, sondern Halt und Festigkeit gewinne». Quam metri elegiaci ac maxime pentametri proprietatem atque elegantiam non animo praecepisse aut comprehendisse Diomedem grammaticum, liquet ex iis quae de pentametro elegiaco (cuius etiam exemplum in vocem trisyllabam [anapaestam] - «pelago» - excidens posuit) tradidit l. adl. p. 507, 1.

[1]) Cfr. in epigrammatis 77,4 «omnia nostra bona»; 80,2 «candidiora nive»; 84,6 «dixerat atque avia»; 88,8 «se ipse voret capite»; 91,2 «perdito amore fore»; 100,6 «unica amicitia»; 106,2 «vendere discupere»; 109,2 «perpetuomque fore»; 110,6 «sed data corripere»; 115,2 «cetera sunt maria».

lisione et synaloephe temperari ac molliri videtur). In hexametrorum quoque, ut compertum est, secunda sede vocabula spondiaca numquam, dactylica vel in dactylum exeuntia perraro posuerunt optimi Romanorum poetae [1].

Quod vero Catullus versum pentametrum talem effinxit qualem nunc appono « Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt » (76,8), in quo singuli fere pedes singulis vocibus efficiuntur (ut non dicam de aliis vitiis, quibus hic versus laborat, velut de monosyllabis in utroque hemistichio extremo positis: de qua re supra dictum est), huic, inquam, versum similem nusquam reperias, nisi forte apud Ennium in hexametris, cuius notissimum illud « Sparsis hastis longis campus splendet et horret ». Satt. 14 ed. M. (quem versum auctor est Servius ad Verg. Aen. XI, 601 vituperatum esse a Lucilio--cfr. eius Satt. Rell. III, 60 seq. M.—, idque tamen aliam ob causam quam ob *διαίρεσιν* immodice usurpatam, h. e. ob nimias sectiones verborumque divisiones [2]); quo in genere cfr. etiam Ann. 500.

Alia nunc breviter persequar (idque non solum in Catulli carminibus, quae proprio nomine elegiaca dico, sed in distichis eius universis), quae a praestantia excellentiaque artis poetarum Romanorum elegiacae longe videntur distare.

Quod Catullus hexametrum huius generis composuit «Qui te lenirem nobis, neu conarere» 116,3, nihil huic versui simile afferri potest ex omnibus poetarum Romanorum aut elegis aut etiam hexametris, nisi quod apud Ennium haec tria non minus quam quod eiusdem Ennii

---

[1]) Cfr., praeter LACHMANNUM in *Comm. Lucr.*, FR. FROEHD. l. adl. *De hex. lat.* cett. p. 534.

[2]) Qua in re sane longius quam Catullus progressus est apud Graecos Theognis, cuius hic est pentameter «οὕτως ὥσπερ νῦν οὐδενὸς ἄξιος εἶ». *Anth. lyr.* cett. ed. B. p. 56, v. 456.

supra attuli, risu digna offendimus: «Olli respondit rex Albai Longai» Ann. 66 ed. M.; «Cives Romani tunc facti sunt Campani» Ann. 169; «Introducuntur legati Minturnenses» p. 140, fr. III, v. 5[1].

Carminis vero 114 v. 6 «saltum laudemus, dum mo-

---

[1]) Hoc inter *dubia* refert LUC. MUELLERUS l. adl. KEILIO obsecutus, qui grammatico ipsi, dico Victorino, qui hoc exemplo «varias hexametri species demonstrare voluerit», hunc versum tribuendum esse censet (cfr. *Fragm. Ber. et Sangall.* Vol. VI ed. K, p. 634 in appar crit.; cfr. p. 211,22). Utrum secundus versus «Cives Romani cett.» Ennii sit necne, dubitat Io. VAHLENUS in adn. critt. ad Ann. v. 174, p. 28. Versum autem «Albani muris Albam Longam cinxerunt», quem IANUS DOUSA et eum secutus VOSSIUS *Inst. Or.* IV,4,4 ex Diomede adferunt et Ennio tribuunt, iamtum veteres Ennii editores, ut COLUMNA et MERULA, ab Ennio abiudicarunt et recentiores, ut VAHLENUS et LUC. MUELLERUS, omiserunt atque adeo ne in «falso ascripta» quidem receperunt. Adfert hunc versum Marius Victorinus Vol. VI, p. 101, 26. Num autem Lucretius VI, 1135 (1133) vere scripserit «An caelum nobis natura ultra corruptum» valde ambigitur, quin etiam non conceditur a plerisque, verbi gratia a LUC. MUELLERO *d. r. m.* p. 141. (LACHMANNUS sic scripsit: «an caelum nobis ultro natura coortum»; cfr. eius *Comm.* ad VI, 1135, p. 416). Huc referendus non est versus Verg. Aen. VII, 634 «Aut leves ocreas lento ducunt argento», cum *ocreas* non bisyllabum sit per synizesin, i. e. spondeus, sed trisyllabum et quidem anapaestus, cum prima syllaba natura brevis sit. Cfr. Diomed. Vol. I, p. 496 16 (ubi est *lamnas* pro *ocreas*) et Plot. Sac. Vol. VI, p. 500, 19. (Victorinus autem Vol. VI, p. 213, 12 huius versus «secundo *loco unum dactylum tantum* inveniri» diserte ac definite dicit). Versus autem poetarum aetate multo inferiorum, ut Avieni, Iuvenci, Drepanii, quos adfert LUC. MUELLERUS *d. r. m.* p. 142, non curo. Hexametrum ex puris spondeis constantem sic finxit docendi causa Terentianus Maurus 1592 «Spondeis illum primo natum cernis sex»; (cfr. Mar. Vict. p. 72,14 «Non phocae turpes, non marcentes ballenae»). De cuius generis versibus ita non invenuste scripsit, ut est auctor Victorinus l. adl. p. 211 seq., Albinus in libro de metris: «Vilem spondeum (al. spondeo) totum concludere versum - posse fieri iungens sed dactylum apte». De huiuscemodi versibus hexametris, quos vel *spondeazontes* vel *spondiazontes* vel *spondaicos* vel ἰσοχρόνους vel ὁλοσπονδείους vel *duodecasyllabos* vel *duodecim syllabarum* nominant grammatici latini et graeci, multa congessit SANTENIUS l. adl. ad Ter. v. 1592, p. 144 seqq.

do ipse egeat» vel, si vera coniecerit Lachmannus ad Lucr. III, 954, p. 196, «.... dum domo...» (quod probat Mar. Hauptius Opp. II, p. 124), unum sit exemplum hiatus in posteriore pentametri parte admissi; et hanc ob causam cum librorum fides tum Lachmanni coniectura infringitur ac damnatur a Luc. Muellero, *Praef.* p. XXXVIII, qui scribi iubet «...dum modo eo ipse egeat»; sed haec nimis est dura elisio, qua fit ut in hac collisione bisyllabum *eo* utrimque distrahatur ac paene evanescat. Male etiam meo certe iudicio Baehrensius «dum modo te ipso egeat», ubi verba iusto magis asperiusque colliduntur. Alii alia; ipse hoc proposuerim «dum modo is ipse egeat»: nam primum facile fieri potuit ut *is* excideret ante *ipse*, deinde, quae a libris traduntur, ea servantur, tum hoc pronomine adiecto vis pronominis *ipse* augetur, ut *is ipse* aptius quadret in totam huius loci sententiam. Quod si quispiam nostrae coniecturae sic occurrere velit ut dicat, *is ipse* a poetica oratione sibi alienum videri, hunc ea exempla quae p. 100 seq. attuli et ea quae monui de nonnullis Catullianis verbis verborumque constructionibus ad vulgarem communemque sermonem et solutam orationem propius accedentibus, animadvertere iubebo.

Asperius elisionis omissae exemplum in distichorum hexametris, idque certum (nam virorum doctorum coniecturae ad hunc locum spectantes non eiusmodi sunt ut codicum fide atque auctoritate potiores habeantur), est 66, 11: «Qua rex tempestate novo auctus hymenaeo». Praeterea ut in versu 158 carminis 68 intra utrumque pentametri hemistichium hiatus tolleretur, Maur. Hauptius (Opusc. I, p. 62 seq.; cfr. II, p. 124 seq.) secutus Italorum coniecturam (cfr. Luc. Mueller. *Praef.* p. XXXVI), ante

omnia ponendum esse *mi*, itaque scribendum «A quo sunt primo mi omnia nata bona» censuit: qua ratione optime consuluisse Hauptium et metro et sententiae putat etiam Aem. Baehrensius – *Anall. Catull.* Ien. 1874, p. 62. Quod si lectionem libris traditam retinere volumus, lenissima ac facillima verborum translatione sic scribi potest *A quo primo sunt omnia* cett.: Catullum enim a monosyllabis in caesura positis non abhorruisse, satis elucet ex nonnullis eorum, quae supra congessimus, exemplis. Igitur aut ita scribendum aut Hauptii iudicio standum esse equidem opinor; [1] nam quamquam Catulli ratio atque ars disticha pangendi minime est exculta, tamen eum in pentametri sectione hiatum admisisse, non facile concedam: qui contra facillime tolli potest, et iampridem sublatus est (nam aliis quoque de causis alia quaedam in illis versibus mutanda esse videntur), etiam in his locis, praeter alios, qui vulgo tamquam hiatus (vel, si magis placet, syllabae in *m* litteram desinentis ante vocalem non elisae, idque in medio pentametro) testimonia olim perhibebantur: 66,48 «Iuppiter, ut Chalybum omne genus pereat!»; 67,44 «Speret, nec linguam, esse nec auriculam»: 97,2 «Utrum os an culum olfacerem Aemilio»; etiam hiatus inter vocales: 99,8 «Guttis abstersti omnibus articulis»; quorum in primo recte, meo quidem iudicio, nunc vulgo scriptum legitur (cuius

---

[1]) Licet etiam suspicari (nam coniecturam facere, facillimum, rectam facere, difficillimum) Catullum ita scripsisse «A quo mi sunt primo omnia nata bona»; nam et pronomen *mi* universa loci sententia requirit, et hanc particulam in priore hemistichio rectius se habere quam in posteriore apparet; de elisione autem quae fit in caesura, id satis habeo animadvertere, ab eiusmodi elisionibus non alienum fuisse atque etiam his iusto saepius delectatum esse Catullum, ut ex iis locis, quos supra indicavi et congessi, plane constat.

rei primus fuit auctor Ang. Politianus Misc. LXVIII): Chalybon (= Χαλύβων; cfr. vers. Callimach.)[1]; in secundo: Speraret (cfr. p. 31); in tertio: Utrumne, ex veri simillima Mureti coniectura; in quarto Guttis abstersisti ex Italorum coniectura, vel facillima verborum translatione « Abstersti guttis », quod praecipui Catulli editores, excepto Ellisio, receperunt[2].

Praeterea quod in pentametro 66,84 « Sed quae se impuro dedit adulterio » licentiam quandam quae vocatur prosodiaca videre sibi persuaserunt nonnulli, quod vocalem brevem prioris syllabae in *dedit* arsis vi productam dicerent, rem non ita se habere equidem puto, cum hoc *dedit* non a *dando*, sed ab eius composito quod est *dedere* temp. praes. declinatum esse videatur (Codex Hamburgensis, quem primus contulit Schwabius, et Ellisius iterum per alium excussit, exhibet *dedidit*; cfr. Ellis. Cat. Prolegg. p. XXXIX, et p. 156).

Asperioris hyperbati s. transgressionis exemplum habes 66, 18 « Non, ita me divi, vera gemunt, iuerint ». Alia leviora, ut v. 72 « Namque ego non ullo vera timore tegam », omitto.

Ex iis vero quae apud Catullum antiquitatem retinere videntur aut quae nimis crasse illepideve dicta esse apparet, haec sunt observanda: Principio enim *subrusticum* esse litteram *s* in pronuntiatione, consonanti in-

[1]) Virorum doctorum coniecturas, quae ad hunc locum sanandum prolatae sunt, nuper diligenter indicavit Const. Nigra. *La Chioma di Berenice* cett. Milano, 1891, p. 57.

[2]) Tres priores locos, quos Luc. Muellerus *d. r. m.* p. 310 ut documenta «dihaeresis in syllabis *m* littera terminatis admissae» attulerat (cfr. p 332), in Catulli editione sanatos exhibuit; cfr. etiam quae *Praef.* p. LXXVII de hac re monuit. Versus ita sanatos ut indicavimus probat etiam Maur. Hauptius Opp. II, 125.

sequente, detrahere, docet Cicero Orat. XLVIII, 161. Quod cum *olim*, ut ait Cicero, *politius videretur* (nam saepissime id fit apud vetustissimos poetas, atque adeo nonnumquam apud Lucretium), *poetae novi* fugere coeperunt, non ita tamen ut Catullus in extremo carminum versu, idque in pentametro, a tali licentia abhorreret, 116, 8: « At fixus nostris tu dabi' supplicium [1] ». Taceo autem de aliis quae veteris sermonis colorem imitari dixeris, ut de crebriore vocum deminutivarum numero [2], ut de allitterationis, quae dicitur, usu [3], ut de verbis obsoletis vel de

---

[1]) Cicero loco adl. de unius syllabae *us* extremae apocope, quod subrusticum esse dicit, loquitur, sed patet, cum id exempli causa attulisse, nam quae ibi monet etiam ad syllabam brevem *is* pertinent. Atque adeo Lucilium syllabam *os* graecae declinationis truncare ausum esse, comparet ex eius Satt. reliquiis, ut ex XXX, 110 et ex libr. inc. 62. ed. M. Pro « tu dabi' » alii scribi iubent « tu dabis », quod littera *s* iis qui legunt omittenda relinquitur. De hac litterae *s* detractione vel ecthlipsi, cuius hic versus Catullianus novissimum habetur in litteris latinis documentum (nam grammaticorum exempla, de quibus cfr. Luc. Muellerus *d. r. m.* p. 345, silentio praetereo), pauca ipse scripsi op. adl. *Iudicia* cett. p. 99 seq. In hunc Catulli locum haec recte observavit Ellisius, *A Commentary* cett. p. 502: « We may feel sure that Catullus would not have allowed it (i. e. *s* elisum) in any of his lyrics ». Sed non ille quidem inepte haec quoque addit: « It is noticeable that the elided *s* precedes another *s*; perhaps Catullus would not have admitted it before any other letter ». Lud. Havet., qui nuperrime de « L'*s* latin caduc » scripsit (in *Etudes Romanes* dédiées à Gaston Paris cett. Paris 1891, p. 303 seqq.), nescio quo pacto exemplum hoc Catulli gravissimum omisit.

[2]) De vocibus Catullianis deminutivis proprie egerunt, praeter alios, Frid. Heusnerus. *Observ. gramm. in Cat. Ver. librum.* Marb. Catt. 1869, p. 35 seqq.; Conr. Hupius. *De gen. dicendi C. Val. Cat. Ver.* P. I. Monast. 1871, p. 24 seqq.; Franc. Teuffel. *De Cat. Tib. Prop. vocibus singularibus.* Freib. Brisg. 1872, p. 16 seq. Cfr. praeterea Maur. Haupt. Opp. I, p. 87.

[3]) Fatendum tamen, allitterationem, quam veterum maxime poetarum propriam fuisse demonstrare studui libelli qui est *Sull' uso dell' allitterazione nella lingua latina*, Padova, 1889, pag. 9 seqq., non ita

obsoletis insolentibusque verborum inflexionibus [1], cum haec non solum distichis Catulli, sed reliquis etiam carminum Catullianorum generibus communia sint, quamquam vocum deminutivarum et allitterationis exempla in

esse frequentem, atque etiam admodum lenem, apud Catullum. Homoeoteleutorum autem exempla in Catulli carminibus vere elegiacis nulla repperi, siquidem homoeoteleuton sic intellegendum est, ut mea certe sententia intellegendum esse contendi libelli, qui est a me inscriptus *Dell' omeoteleuto latino*, Padova, 1891, pag. 8 seq. Cfr. pag. 28 seqq. Namque nullum statuendum est homoeoteleuton (dummodo huic verbo angustior illa quidem sed vera ac propria, opinor, subiecta sit notio), ut unum alterumve exemplum ponam, aut in hexametro 66, 13 « Dulcia nocturn*ae* portans vestigia rix*ae* » aut in pentametro 65, 20 « Procurrit cast*o* virginis e gremi*o* ». Sed de hac re alio loco uberius atque subtilius.

[1]) Velut *potis est*, *potis sit*, *pote* (65, 3; 72, 7; 76, 24; 115, 3; 76, 16); *iuerint* (= iuverint), *luxti*, *alis* (= alius), *tristi* (= trivisti), *siris* (= siveris) - (66, 18, 21, 28, 30, 91); cfr. *subrepsti* (77, 3); *duxti* (91, 9); *componier* (68, 141); *tetulisset* (66, 35: de qua praeteriti temporis reduplicatione cfr. Gell. VI (VII), 9, 14). Huc etiam pertinere dixeris nonnulla verborum exempla, quorum fluctuare videtur coniugatio (sed et haec et quaedam ex iis, quae modo attuli, etiam apud optimos scriptores nonnumquam inveniuntur; qua in re consulendus Luc. Muellerus *d. r. m.* libr. VII, qui inscribitur *Observationes grammaticae*, p. 375 seqq); ut verbum *fulgendi* quamquam vulgo secundae, quae dicitur, coniugationis est, apud Catullum, 66, 94, tertia coniugatione effertur: « Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion ! ». Contra apud eundem Catullum, ib. v. 61 « fulgēremus ». (Item Catullum etiam dixisse *cavĕre*, auctor est Servius ad Verg. Aen. IV, 409). Alia minoris momenti vel in quae etiam apud primae classis poetas nonnumquam quisque legens incidit, missa facio. Ut vero ad illud *fulgĕret* tertia coniugatione elatum redeam, quamquam rem per se ipsam admodum miram ac singularem videri non attinet, cum etiam aliorum poetarum testimoniis comprobetur (ut hoc verbum secundae idemque tertiae coniugationis esse appareat), tamen cum in superiore versu coniunctivi, qui dicitur, optativi tempus praesens usurpetur, nonne idem tempus idemque modus in altera quoque orationis parte, quae per ἀσύνδετον s. dissolutionem et παράταξιν priori adhaeret (nam post *fiam* commate interpungendum esse puto), postulari videtur ? Idem quoque dicendum est, si post *fiam* exclamationis, quod vocant, signum colloces, cum sic illud « Proximus Hydrochoi cett. » sit ἀπόδοσις periodi quae dicitur, conditionalis secundi ge-

nugis illis, ut ipse carmina minora appellat, et in epigrammatis plura ac maiora esse videntur quam in elegiis.

In carminibus autem Catulli elegiacis, quae singillatim persecuti sumus, multa etiam reperiuntur, quae non satis esse poetica et accurata, sed nimis humilia et usu tamquam communi detrita ac magis solutae orationis quam numeris astrictae colorem referre videantur: quo in genere ponendus immodicus talium coniunctionum usus, quales sunt *sed tamen*, *sed quamquam*, *praeterea*, *atqui*, *qua-*

---

neris, cuius sit cogitando πρότασις supplenda «quod si fiat» (nam *fiat* requiritur, ut in *exemplo ficto* et quia est *fiam* in versu superiore). Potest etiam «Proximus Hydrochoi cett.» intellegi propositio quae dicitur a grammaticis concessiva. Igitur legendum esse censeo «fulgeat» pro eo quod est «fulgeret». (Hoc loco nimio plura immutare voluerunt MARULLUS et MURETUS). Neque id a veritatis specie abhorret, Catullum scripsisse «fulguret» (at est apud FROEHLICHIUM; *fulgoret* apud BAEHRENSIUM), quod optime dicitur de sideribus. (*Fulgeret* autem, quae est vulgata lectio, non est intellegendum temp. praes. mod. coniunct. a *fulgerando*, ut vult AEMILIUS THOMAS l. adl. p. 679, nam lexica latina praebent *fulgerator* (ex inscriptionn.), non vero *fulgerare*); in utraque vero coniectura quam minimum librorum manu scriptorum conditio mutatur neque id criticae, quam dicunt, artis rationisque legibus obstat. Ex quo intellegitur tempus imperfectum modi coniunctivi «corruerent» v. 93, quod coniecit ELLISIUS et LUC. MUELLERUS recepit, eisdem de causis reiciendum esse: LACHMANNI certe coniectura «*corruerint*» potior videtur. Codicum varias lectiones et hominum doctorum in hunc locum (v. 93) coniecturas nuper sollerter congessit et examinavit NIGRA l. adl. p. 69, qui non inepte coniecit «Sidera cur haerent»; cfr. etiam «*Poésies de Catulle* trad. par E. ROSTAND» cett. p. 678 seq. (codd. *cur iterent*; GUARINUS *cur retinent*, quem secutus est BAEHRENSIUS, quamquam hoc loco pronomine *te* non facile caremus). Quod vero ait H. A. MUNRO, *Criticisms and Elucidations of Catullus*. Cambridge, 1878, «*fulgĕret* is an instance of that use of the imperf. and pluperf. subj. which Madvig (de fin. II, 35) illustrates from Cicero and others, and of which I have collected numerous exemples from Virgil and Ovid» p. 158, non audiendus est vir ille doctissimus, cum et Madvigii et eius ipsius exempla non eiusdem sint generis cuius est hic locus Catullianus habendus.

re, quandoquidem cett., vel talia: 67, 37 « Dixerit hic aliquis »; 43 « Nomine dicentem quos diximus..... »; 45 « Praeterea addebat quendam, quem dicere nolo »; 68, 9 « Id gratumst mihi, me quoniam tibi dicis amicum »; 11 « Sed tibi ne mea sint ignota incommoda... »; 27 « Quare, quod scribis... »; 37 « Quod cum ita sit, nolim statuas... »; 131 « Aut nihil aut paullo... »; 135 « Quae tamen etsi... »; 147 « Quare illud satis est, si... »; 76, 16 « Hoc facias, sive id non pote sive pote »; 23 « Non iam illud quaero ., »; 99, 3 « Verum id non impune tuli: namque... »; 101, 7 « Nunc tamen interea... ». Quae omnia eius generis sunt ut plane declarent, Catulli artem longe distare ab eximia illa singularique praestantissimorum poetarum elegiacorum maximeque Ovidii arte, qui sententias orationis concinna potius aptaque verborum collocatione quam particulis conectere atque explicare volunt; ex quo aliud quoque Catullianae orationis vitium, quo in carminibus eius elegiacis offendimur, oriri nemo negabit: gravitatem quandam et tarditatem verborum ac sententiarum: quae praeterea iusto saepius solutae tamquam orationis ordine servato, velut uno tenore procedunt atque inter se non concinne excipiuntur. Quod etiam vel ex hoc patet quod in digressionibus Catullus iisdem vel paullo dissimilibus verbis usus eo, unde deflexit, redire solet. Cuius generis haec appono: 65, 4 « ....tantis fluctuat ipsa malis » coll. cum v. 15 « Sed tamen in tantis maeroribus... »; 66, 9 seq. « .... quam cunctis illa deorum .... pollicitast » coll. cum vv. 33 seq. « Atque ibi me cunctis... divis... pollicita's »; 68, 19 seq. « Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors — abstulit » coll. cum vv. 25 seq. « Cuius ego interitu tota de mente fugavi — haec studia ».

Multum denique distare videtur Catullus ab iis, qui elegiae Latinae omnium consensu praesunt, si universum horum verba componendi ac per singula disticha apte et convenienter distribuendi artificium et ratio cum Catulli elegis comparatur. Quae cum speciatim ac singillatim nobis tractanda sint, alio haec loco eoque opportuniore infra videbimus [1].

Sed et haec omnia, quae adhuc exposuimus, et alia id genus leviora quae omisimus, nimis urgere apud Catullum ac vituperare nolimus: nihil est enim simul et inventum et perfectum; ea enim aetate fere primum disticha in carminibus elegiacis usurpabantur neque etiamtum universus sermo poeticus eum perfectionis gradum attigerat, quem postea attigit et ad quem iam tum sermo numeris solutus adductus erat. Quare non equidem illi detrahere ausim « haerentem capiti cum multa laude coronam », cum non illum quidem poetam vere lyricum, sed propria et principali significatione elegiacum de Catullo disputans intellexerim. Multa igitur ignoscenda atque concedenda esse videntur cum rei novitati tum Latinae linguae poeticae egestati metrique necessitati, ut Catullus, quem fere intacti antea Romanis carminis auctorem dixerim, non minus quam Lucretius (I, 137 seqq.) sentiret, id « Difficile inlustrare Latinis versibus esse, — multa novis verbis praesertim cum sit agendum — propter egestatem linguae et rerum novitatem ». Hoc igitur concludere licet, Catullum, qui

---

[1]) Catulli ars verba disponendi quae esset, quaerere studuit Richardus Fisch. *De Catulli in vocabulis collocandis arte*. Berol. 1875. Quo in genere de versibus hexametris elegiacis (sic enim ipse, aliorum, ut supra vidimus, exemplum secutus, eos appellat versus qui vulgo dicuntur pentametri), proprie disputavit p. 45 seqq.

in versibus lyricis maximeque hendecasyllabis s. phalaeciis eximius et summus est artifex habendus, nec ille quidem imperitus hexametrorum conditor, in distichis tironem admodum videri; ut enim in carminibus vere lyricis, in quibus suos animi motus sensusque aperiebat atque hinc vivas ducebat voces, praestantissimum poetam dicas Catullum etiam si versuum tantum conformationem intuearis, sic contra in eius elegiacis carminibus, ubi et in verborum distichorumque compositione et in genere dicendi sententiarumque enuntiatione non minus quam in rerum materia aliena maximam partem vestigia, Alexandrinorum dico, premebat Catullus, multa sunt « vestigia ruris » et « agrestis Latii » propria vel, ut ipsius Catulli verbis utar, multa insunt « plena ruris et inficetiarum [1] ». Si enim nonnumquam etiam in eius carminibus elegiacis in sententias blandissimas et vere ex animo manantes atque ad animum influentes incidimus, quae non imitatorem, sed poe-

---

[1]) Itaque quod iudicium de Catullo fecit Theod. Mommsenus in quinto Historiae Romanae libro (Cap. XII, p. 602; Berl. 1882) « Die lateinische Nation hat keinen zweiten Dichter hervorgebracht, *in dem der künstlerische Gehalt und die künstlerische Form* in so gleichmässiger Vollendung wieder erscheinen wie bei Catullus; und *in diesem Sinne* ist Catullus Gedichtsammlung allerdings *das Vollkommenste* was die lateinische Poesie überhaupt aufzuweisen vermag » (cfr. etiam Aem. Clemens. l. adl. p. 3, et, qui aliorum huic fere similia composuit iudicia, T. T. Kroon. *Quaest. Cat.* Lugd. Bat. 1864, p. 44 in adn.), hoc, inquam, iudicium, si certe Catulli carmina elegiaca proprie spectamus atque intellegimus, non ex omni parte verum ac nimis certe verbis elatum videri, opus est fateamur. Qua in re non insulse scripsit Luc. Muellerus *d. r. m.* p. 74, mirum non esse, cum Catulli maxime temporibus « transitus esset factus a priorum simplicitate et ruditate ad perfectionem artis, ambiguum fuisse aliquando ac medium Catullum cum aequalibus inter placita veterum, quae damnarentur citius quam migrarentur, et tantam novarum rationum novique cultus dulcedinem ».

tam rem proprio ingenio tractantem produnt ac declarant, tunc quoque versibus plerumque offendimur neque accuratis illis quidem vel quodam modo factis neque molliter euntibus: quod quantum universae orationi repugnet atque obsit, optime illis Ciceronis verbis docemur dicentis, quamvis suaves gravesque sententiae tamen si inconditis verbis vel incompositis pedibus efferantur, offendi aures, quarum sit iudicium superbissimum [1].

Cum igitur in Catulli carminibus elegiacis si res non minus quam verba et versus spectemus, elegiam etiamtum rudem fuisse atque adeo tum fere primum nascentem dicamus necesse sit, quid mirum si ab antiquis scriptoribus eius carminum elegiacorum vix mentio inicitur? Nam, ut illorum nonnulla testimonia afferam, Quintilianus Inst. Or. X, 1, 93, ubi praecipuos elegiarum scriptores memorat, Catullum ne nominat quidem. Cfr. etiam Diom. p. 484, 21 ed. K. Ovidium autem Trist. II, 427 seq. et Propertium III (II), 32 (34), 87 seq. universa Catulli epigrammata et carmina lyrica, potius quam ea quae proprie ve-

---

[1]) Nimis fortasse severum sed magna ex parte iustum iudicium de Catulli distichis tulisse mihi videtur HERTZBERGIUS l. adl. p. 56. « Catulli versus deinde *in elegiis* inconditi, hiulci, inciso quodammodo poplite et tardis pedibus claudicant, ambitum verborum reluctantem tamquam molem aliquam volventes. Itaque ipsae complexiones male articulatae minimeque elegorum modis adaptatae. Modo enim sententias per sinuosos versuum anfractus invitas trahunt, modo in mediis pentametris subsistentes numerorum vim frangunt. Dispositio aut nulla aut mirum in modum iniqua, est quando inculcatis alienis argumentis et assutis potius quam intextis fabulis prorsus odiosa ». Cfr. eiusdem Diss. *de poett. elegg. apud Romanos principum ingenio et arte.* Halberst. 1842, pag. 6. Nec blande illi quidem de Catulli distichis iudicaverunt GRUPPIUS l. adl. I. p. 346. seq.; PALDAMUS l. adl. p. 40.; TEUFFEL. *Geschichte* cett. I., p. 413 et p. 449 adn. 9; cfr. p. 49; HULTGREN. *Observ. metr.* cett. I, p. 14. Cfr. etiam O. RIBBECK. *Gesch. der röm. Dicht.* Stuttg. 1887, I, p. 339.

reque dicuntur elegiaca, intellegere, manifestum est. Neque aliter dicendum de Horatii Sat. I, 10, 19 [1] et Gellii XIX, 9, 7 locis. Praeterea ab Ovidio Trist. IV, 10, 51 seqq., quo loco poetarum elegiacorum tamquam recensus agitur, omittitur Catullus.

Quid autem causae esse censeamus cur tam brevi temporis spatio interiecto quantum inter Catulli aetatem et Tibulli interest, carmen elegiacum, etiam si metri tantum compositionem consideremus, a primis illis initiis ad quandam quasi maturitatem et perfectionem adductum esse fatendum sit? Hoc duabus maxime ex causis factum esse opinor: primum quod Tibullus ea demum aetate fuit qua in forma ipsa et compositione carminis artificium quoddam atque elegantia requirebatur: — qua in re uno teste et auctore eoque locupletissimo utar: Horatio —; deinde quod inter Catullum et Tibullum atque eorum ipsis temporibus multi fuerunt poesis elegiacae et amatoriae scriptores, quorum etsi opera aetas delevit, tamen haec ipsa non paullum ad hoc poesis genus excolendum expoliendumque valuisse atque profuisse consentaneum est [2].

---

[1]) Horatius, qui Alexandrinorum sectatoribus non minus quam antiquariis infensus erat, Catullo quoque (etsi cum eo alioqui multa communia erant) minus favebat, ut ex eo quem indicavi versu elucet; cuius rei causam hanc etiam, praeter alias, statuo quod versibus rudibus et incompositis, qui maxime in carminibus Catulli elegiacis iusto saepius inveniuntur, offendi oportebat Horatium, cuius subtilissimum atque elegantissimum erat iudicium. Qua in re cfr. GASTON BOISSIER. in censura libri « *Les poésies de Catulle* cett. in *Journal des Savants* ». Jouillet, 1891, p. 419: « Quand on connait le tempérament irritable d'Horace pendant ses jeunes années, on comprend que ces défauts (i. e. quorundam pentametrorum quos ante exempli causa posuerat) aient pu l'indisposer contre Catulle et le rendre moins sensible à ses beautés ».

[2]) De his poetis nonnulla ipse exposui op. adl. p. 81 seqq. Cfr., praeter alios, LUD. SCHWABE. *Quaest. Cat.* I, 1. Giss. 1862 p. 309 seqq.

Praeterea quod in carmine elegiaco non multum profecit aut certe non tantum profecisse videtur Catullus, quantum, ut in poeta summi ingenii atque in lyrica poesi praestantissimo, sperandum fuit, hanc quoque esse causam puto, quod is Alexandrinorum exemplaribus sedulo versandis atque non minus in rebus quam in totius operis forma, colore, habitu rationeque diligentius imitandis, vinculis, ut dicam ita, ingenium suum constrinxit seque ipse tamquam in aliquod pistrinum detrusit et compegit; qua in re Propertium potius quam Tibullum Catulli tamquam successorem dixeris: namque ille quoque Alexandrinorum vestigiis ingressus a Tibulli et Ovidii arte paullum recedit.

Sed illud nemo negaverit, Catullum, qui inter duas aetates tamquam interiectus in ea tempora incidit quibus, maxima litterarum studiorumque conversione facta, a rudi asperaque antiquitate ad novum eundemque meliorem statum poetica procedebat, etiam in carmine elegiaco recte appellari « praenuntium quasi efflorescentis et enitentis temporis » [1]. Catullus enim non uni, sed pluribus poesis partibus exemplum non ille quidem primus, sed in primis praecipuus auctor dedit: in genere dico epico (nam Ennius poema, ut ita dicam, historicum, Lucretius didacticum scripsit), in epigrammatis, in genere universo lyrico, in genere vere et proprie elegiaco.

---

[1]) Cfr. praeterea Grupp. l. adl. I. p. 349: « Diese Gedichte des Catull (sc. carmina elegiaca) scheinen in sich den Beweis zu führen, dass es vor ihm so gut als gar keine römische Elegie gegeben haben kann; er darf uns als der Anfang gelten cett. » Cfr. etiam Baehr. *Röm. Litt.* cett, p. 272; Zingerle. *Ovidius und sein Verhältniss* cett. I Heft, p. 131.

VI.

Adhuc disputavimus de universa distichi Latini elegiaci natura atque compositione et de eius gradibus aetatibusque. Nunc vero huius quaestionis institutum ordine persequentes, ut plene atque cumulate, quantum est in nobis, id perficiamus quod propositum est, ita ea quae extrema examinanda suscepimus tractare volumus, ut distichum elegiacum quale in Tibulli, Propertii, Ovidii carminibus sit propius inspicere subtiliusque explorare atque expendere studeamus. Horum enim poetarum temporibus cum universa Romanorum poetica tum carmen elegiacum, de quo proprie inquirimus, ad perfectum et ad summum perductum esse, quis ignorat? Verum omnia ac singula horum elegiae scriptorum principum carmina persequi certoque iudicio ponderare velle, praeterquam quod infiniti sane est operis et laboris, etiam ad id quod spectamus non necessarium atque adeo utile parum videtur; praeterea ne in hac re tractanda ita verser ut omnia eorum carmina complectar, hisce praecipue causis prohibeor: primum quod maxima nunc est data occasio, ut mihi quidem videor, ad disputationem quandam sedulo instituendam, quam et iampridem me tractare velle dixi et in priore huius opusculi parte significavi [1]; id vero, cum de aliis rebus, quae ad hanc quaestionem pertinere videntur, superioris libelli compluribus locis disseruerim, ab ea tantum parte, ut quidem par est, tractare atque

[1]) Op. adl. *De carm. Rom. eleg.* cett. p. VIII seq. et p. XI in adn.; cfr. p. 165.

absolvere studebo quae ad distichorum conformationem et quasi quandam structuram spectat. Deinde ad angustiores meae disputationi terminos statuendos hac etiam re impellor, quod, cum de carmine elegiaco universe disputans elegiae potissimum amatoriae rationem habuerim, quippe qua in poesi elegorum scriptores Latini, Alexandrinorum poetas hac ex parte plerumque secuti, maxime floruerint, [1] ita nunc cum de optimo distichorum genere acturus sim, praecipue ad ea Tibulli, Propertii, Ovidii carmina elegiaca examinanda aggrediar, quae ad genus poesis elegiacum atque id amatorium pertinere videntur; quod de Ovidii carminibus maxime intellegi volo: nam etsi in Tibulli et Propertii elegiis nonnulla reperiuntur quae ad aliud atque ad amatorium genus spectare dixeris (ut sunt in Propertii libro V [IV] elegiae quae dicuntur aetiologicae vel Romanae), tamen Tibulli et Propertii longe maximam partem carminum ad id elegiae genus pertinere non iniuria adfirmaveris, quo poeta puellae amore incensus animi curas, motus, gaudia, dolores quaeque sunt similia, dea illa dominante «quae dulcem curis miscet amaritiem», versibus impariter iunctis includit. In Ovidii autem carminibus non invenias nisi opus unum quod hoc in genere cum ceteris elegiae scriptoribus comparari possit, cum reliqua eius carmina amatoria potius alia ad docendum composita sint, alia ad genus quod dicitur suasorium pertineant.

Cum igitur huius elegiae amatoriae tamquam cancellis circumscribendam censeam extremam disputationis

---

[1]) De qua re non uno sed pluribus locis dixi op. adl., ut p. 40 seqq., p. 50 cett.

meae partem (ut et materia et forma, quae inter se nexae et iugatae sunt, sibi constent atque respondeant), haec me potissimum carmina proprie tractaturum esse dico. Persequar enim Tibulli omnia carmina primi libri et secundi, praeterea, libro tertio omisso, quarti libri eas elegias excutiam, quae vulgo Sulpiciae et Cerinthi dicuntur (II–VI), denique elegias XIII et XIV; haec enim carmina vere Tibulliana habenda esse, omnes fere ad unum consentiunt, cum de reliquis, quae feruntur, Tibulli carminibus maxima semper fuerit hodieque sit inter homines doctos controversia; atque adeo quaedam a Tibullo quin sint abiudicanda, nullum iam est dubium; Propertii autem elegias omnes examinabo; nam qui pauci totum librum quintum (ex divisione Lachmanniana), elegia XI excepta, adulterinum esse probare voluerunt (ut Christ. Heimreichius in *Symb. Phil. Bonnens.*, p. 674 seqq. et Dom. Caruttius in *Sex. Aur. Propertii Cynthia* cett. Hag. Com. 1869, c. IV, pag. XXXIV seqq. [1]), hi, inquam, non sunt audiendi, cum, praeter alia, id nemo negabit, huius libri elegias non solum Propertio dignissimas esse, sed plerasque et rebus et verbis et versuum artificio in pulcherrimis eius elegiis ponendas; Ovidii denique Amorum libros separatim tractandos suscipiam: nam, ut supra monui, et ex hac tantummodo parte eum, si carminis genus intueris, cum Tibullo et Propertio conferendum esse dicas, et

[1]) Recte Martinus Schanz, in *Geschichte der röm. Litt.* in *Handb. der class. Altertums-Wiss.* cett. herausg. von Iw. Mueller, Münch. 1892, VIII Bd, 2 Th., p. 124, hanc sententiam miram atque adeo « monstruosam » (« den ungeheuerlichen Gedanken ») appellat et non immerito ille quidem miratur, fuisse qui eam dignam habuerint quae refelleretur: in quibus Kirchnerus, *De Prop. libro V.* Wism. 1882. De hac re nonnulla ipse monui op. adl. p. 122 seq. adn. 1.

Amorum elegiae versuum excellentia praestantiaque instar omnium Ovidianorum carminum elegiacorum haberi possunt: adeo ut numerorum et copia et arte satis superque videantur ad id quo intendimus probandum [1]. Igitur Tibulli elegias exquirendas sumam viginti tres (libri I elegias 10, h. e. versus 812 distichave 406; l. II elegg. 6 = vv. 428 = dist. 214; l. IV elegg. 7 [II–VI. XIII. XIV] = vv. 142 = dist. 71): quorum carminum universus versuum numerus est 1382 distichorumve 691; Propertii autem elegg. nonaginta novem (l. I elegg. 22 = vv. 706 = dist. 353; l. II. elegg. 9 = vv. 354 = dist. 177; l. III elegg. 32 = vv. 1008 = dist. 504; l. IV elegg. 25 = vv. 990 = dist. 495; l. V elegg. 11 = vv. 952 = dist. 476): quorum versuum summa universitatis est 4010 distichorumve 2005; denique Ovidii Amorum elegg. undequinquaginta (l. I elegg. 15 = vv. 772 = dist. 386; l. II elegg. 19 = vv. 812 = dist. 406; l. III elegg. 15 = vv. 870 = dist. 435): quorum carminum universi versuum et distichorum numeri sunt 2454 et 1227 [2].

---

[1]) Cfr. Grupp. *Röm. Eleg.* cett. p. 374: «Von den verschiedenen elegischen Werken des Ovid sind es die Amoren, welche uns hier zunächst interessiren.» et Gerh. Heinr. Bubendey. *Die Symm. der röm. Elegie.* Hamb. 1876, p. 9: «Dasjenige Werk (sc. Ovidii Amores), welches im Stoff und der Art und Weise der Behandlung den Werken der andern Elegikern am nächsten steht.» De re universa cfr. Paldam. *Röm. Erot.* cett. p. 41 (quem locum supra attuli): «Es ist aber vorzugsweise die erotische Elegie zu verstehen, wenn von römischer Elegie die Rede ist.»

[2]) Ad Tibulli et Propertii locos adferendos editionem adhibui eandem, qua in Catulli elegiis usus sum, editionem dico Muellerianam; quod vero ad Ovidii Amorum libros attinet, locos attuli ex editione Merkeliana. Hic autem monitos volo qui legent haec, me reliqua quoque Ovidii carmina elegiaca spectare velle cum ita res ipsa tulerit idque «proposito conducat et haereat apte.»

Atque ut statim ad rem ipsam aggrediar, [1] ex iis quae in primis ac praecipue animadvertenda videntur in forma illa distichorum omnibus suis numeris et partibus expleta,

[1]) Cum nunc primum de ea Latini distichi forma disputaturus sim, quae posthac tamquam exemplar perfectae artis elegiacae habita est, hic est locus, ut videtur, iis, quae ad virorum doctorum indicem, qui in hac re versati sunt, pertinent. Praeter homines doctos eos, qui universo carmini Romanorum elegiaco, alii aliter rem persequentes, operam dederunt quosque alio loco indicavi (op. adl. p. 8 seq. in adn.; cfr. p. 101 seq. in adn.; in his vero maxime nominandi, inter antiquiores, SCALIGER, GALLUTIUS, VOSSIUS, alii; inter recentiores, PALDAMUS, GRUPPIUS, HERTZBERGIUS, alii), proprie de disticho elegiaco maiora minora proferentes vel alii alias partes tractantes egerunt qui sequuntur. (Qua in enumeratione ob propinquam quasi cognationem quae disticho Latino cum Graeco intercedit, eorum quoque nonnullos indicavi, qui de Graecorum disticho scripserunt) — LAUR. SANTENIUS in *Terentiani Mauri edit.* Trai. ad Rh. 1825 (opus SANTENII morte interruptum absolvit DAV. IAC. VAN LENNEP.), ad vv. 1721 seqq. p. 283. seqq. — ERN. EICHNER. *De poett. Latt. usque ad Augusti aetatem distichis quaest. metr. partic. duae.* Soraviae 1866; *Bemerkungen über den metrischen und rhythmischen Bau, sowie über den Gebrauch der Homoeoteleuta in den Distichen des Catull, Tibull, Properz und Ovid.* Gnesen, 1875.— CAR. PRIEN. *Die Symmetrie und Responsion der röm. Elegie.* Lübeck, 1867. — GUALT. GEBHARDI. *De Tibulli, Propertii, Ovidii distichis quaest. elegiac. Specimen.* Regim. 1870; *Zur Technik der röm. Dichter im ep. und eleg. Versm.* in *Jahrbüch. f. Phil.* Bd. 109-110, 9 Heft (1874), p. 647 seq. — M. W. DROBISCH. *Ueber die Classification der Formen des Distichon.* 1871, p. 1 seq. (Abdruck aus den *Bericht. der phil.-hist. Cl. der k. Sächs. Gesellsch. der Wiss*, 23 Bd.). - FRID. CAR. HULTGREN. *Observationes metricae in poetas elegiacos Graecos et Latinos.* P. I, Leipz. 1871; P. II, Leipz. 1872; *Die Technik der röm. Dicht. im ep. und eleg. Versm.* in *Iahrbb. f. Phil.* Bd. 107-108, Heft. 10-11, (1873), p. 745 seqq.; *Statistische Untersuchungen des Distichons* in *Bericht. der phil.-hist. Cl. der k. Sächs. Gesellsch. der Wiss.* 1872, 24 Bd, pag. 3 seqq.; ibid. cfr. DROBISCH.* p. 1-3. — BERN. HENR. ENGBERS. *De metricis inter Tibulli Propertiique libros differentiis Quaest.* P. I. Monast. 1873. — GERH. HEINR. BUBENDEY. *Die Symmetrie der röm. Elegie.* Hamb. 1876. — THEOD. BIRT. *Ad historiam hexametri Latini symbola.* Bonn, 1876 (p. 26 seq. et aliis locis). — ETT. STAMPINI. *Le Odi Barbare di Giosuè Carducci e la metrica Latina.* Torino, 1881, p. 43 seqq. (a quo pag. 58 laudatur — sed ipse librum inspicere non potui — GOTTSCHALL. *Poetik. Die Dichtkunst und ihre Technik.* Breslau, 1877, I, p. 285); *La poesia Ro-*

quam tres illi elegorum Latinorum scriptores principes sunt assecuti, haec paene, nisi fallor, proferenda sunt. Cum hoc loco taceam de iis paucis ac levioribus, quae uniuscuiusque poetae in versuum condendorum artificio propria videntur, hisce maxime de causis dici potest carmen elegiacum tamquam ad fastigium per hos adductum esse, ut eorum disticha componendi ratio in posterum tamquam exemplar perfectae artis haberetur: Primum enim apparet,

---

mana e la metrica. Torino, 1881, p. 26. seqq. — W. Meyer. *Zur Geschichte des gr. und des lat. Hexam.* in *Sitzungsb. de k. bayer. Akad. de Wiss. philosoph.-philolog. Cl.*, 1884; cfr., inter alia, p. 1042 seq. § 10 «Pentameterschluss». — Ex iis vero qui nominatim distichum Graecorum elegiacum aut ex omni aut ex aliqua parte tractarunt, horum mentionem faciam: — Arn. Langen. *De disticho Graecorum elegiaco.* P. I Vratisl. 1868. — H. Weil. *Ueber Spuren stroph. Compos. bei den griech. Elegik.* in *Rhein. Mus.* XVII (1862), p. 1 seqq. — H. Usener. *Zum Hexam. des Theognis* in *Jahrr. für Phil.* CXVII (1878), p. 68. — In multis autem libris, qui sunt de re metrica poetarum Latinorum, hi, quo ad distichum elegiacum, in primis sunt laudandi: – God. Hermann. *Elementa doctrinae metricae.* Lips. 1816., l. II, c. XXVIII, p. 356 seqq. (cfr. eiusdem *Epitome doctr. metr.* ed III. Lips. 1852, l. II, c. XXVII, p. 128 seqq.). — Luc. Mueller. *De re metrica poetarum Latin. praeter Plaut. et Terent. libri septem.* Lips. 1861, l. III, p 214. seqq. et aliis locis (cfr. eiusdem *Rei metricae poett. Latt. praeter Pl. et Ter. Summarium.* Petrop. 1878, § 28., p. 45 seq. et aliis locis; *Metrik der Griech. und Röm.* Leipz. 1880, § 25, p. 32 seqq. et aliis locis; *Quintus Ennius. Eine Einleitung in das Studium der röm. Poesie.* St. Petersb. 1884. Zehnt. Buch, c. III «Die röm. Metrik nach Ennius». Distichon, p. 292 seq.). — J. M. Guardia et J. Wierzeysiii. *Grammaire de la lang. lat. d' après la méth. anal. et histor.* Paris 1876, p. 736. — W. Christ. *Metrik der. Griech. und Röm.* Zw. Aufl. Leipz. 1879, § 244 seqq., p. 206 seqq. — Fr. Zambaldi. *Metrica greca e Latina.* Torino, 1882, c. V, p. 246. seqq. — Hugo Gleditsch. *Metrik der Griech. und Röm.* in *Handb. der class. Altertums-Wiss.* cett. herausg. von Iw. Müller. Zw. Bd, Nördl. 1885, E, § 38, p. 526 seq.; § 106,4, p. 574 seqq.; § 140, p. 599 seq. — Postremo in iis qui rem Graecorum metricam proprie tractarunt satis est commemorare A. Rossbach und R. Westphal. *Metrik der griech. Dram. und Lyr.* cett. Zw. Aufl. besorgt von R. Westphal. Leipz. 1867. 1868, II Vol. p. 351. seqq.

ita eorum carmina structa atque conformata esse ut, id quod verae carminis elegiaci naturae conveniens consentaneumque esse monuimus, singulis quibusque fere distichis singulae strophae efficiantur, quae, sive metrum spectas sive sententias, per se ipsae perfectae absolutaeque sint, ut neque iis quae antecedunt neque iis quae subsequuntur expleantur, et ad unitatem revocentur. Quomodo vero poetae elegiaci omnium praestantissimi vitio illi orationis, quod Graeci appellant μονοτονίαν, quodque, ut in promptu est, facile oriri poterat ex tam magna tamque diligenti metri observantia, mederi studuerint, cum verba ipsa in uniuscuiusque distichi hexametro pentametroque affabre atque scienter collocantes, tum plura disticha inter se tamquam conexa et iuncta ad unitatis rationem summo artificio reducentes, paullo post viderimus.

Deinde, neque haec est parva Romanorum poetarum elegiacorum laus, ita pentametros effinxerunt, ut universi vocibus bisyllabis plerumque concluderentur: quod tamen ut non eadem ratione fieri apud singulos poetas videmus, ita artis elegiacae magis magisque procedentis indicium est habendum: nam cum longioribus vocabulis pentametrum finire ab ipsa carminis elegiaci natura abhorrere videretur [1], id, poetis in operis artificio progredientibus, fieri oportebat, ut, exclusis monosyllabis, quibus numeros

[1]) Quod universe ait Quintilianus, IX, 4, 65, de verbis, ut ita dicam, sesquipedalibus, quae in extremis versibus nonnumquam apud poetas reperiuntur, id intellegitur multo rectius de pentametrorum quoque conclusionibus dicendum esse: nam, cum distichi tamquam cursus rhythmicus ad finem properans paene constanter ac legitime pentametro contineatur, quis non videt, hunc ut monosyllabis nimis dure atque absurde interrumpi, ita longioribus clausulis nimis graviter onerari ac moleste retardari?

terminari malae plerumque erat artis, et trisyllabis, quibus, ut alia omittam, pentameter ne concludi quidem fere videbatur, nihil aliud reliquum esset, quam ut hic versus vocibus bisyllabis longe optime claudi posset. Praeterea, sive id dedita opera et ratione aliqua aut observantia quaesitum est, sive natura magis casuque aut necessitate quadam factum, hoc etiam efficiebatur, ut versus accentus, qui dicitur metricus, quam minime cum grammatico discreparet [1]:

---

[1]) In hexametrorum quoque clausulis fieri prope necesse erat, ut cum versus heroi longe optime ac frequentissime tum trisyllabis vocabulis tum bisyllabis terminarentur, versuum accentus cum verborum congruerent: quod utrum de industria factum sit, ut maxime post RITSCHELIUM plerique volunt (cfr. FR. FROEHD. l. adl. *de hex. lat.* cett. p. 539 seq.; ZAMBALD., *Metrica* cett. p. 241 seq.), an verius vidisse, praeter alios, GUIL. MEYERUM (*Ueber die Beob. des Wortacc. in der altlat. Poes.* in *Sitzungsb. der k. bay. Akad.* 1884.) censendum sit, qui RITSCHELII opinioni repugnavit (cfr. etiam LUC. MUELLER, *d. r. m.* p. 211. 219; FEL. RAMORINO, *La pronunzia popol. dei versi quantit. nei bassi tempi ed orig. della versegg. ritm.* Torino, 1893, p. 5), nunc quaerere nolo: id satis habeo animadvertere, quod alio loco (*Zur Gesch. des griech. u. lat. Hex.* in *Sitzungsb.* cett. 1884, p. 1034) idem ait MEYERUS, se mirari cur, si vera esset RITSCHELII sententia, easdem clausulas hexametrorum defugerint poetae Latini quae sint *reparare, Tyndaridarum,* in quibus accentus et metrici et grammatici consensus sit, hoc contra dici posse videri, in priore exemplo eum repugnantia adfirmare, cum discrepantia sit, non consensus, inter utrumque accentum: nam ultima syllaba verbi (modo ne sit monosyllabum) ante *reparare* acuenda est, utpote quae sit arsis pedis quinti; quod vero ad *Tyndaridarum,* ubi est consensus, cum nulla postrema syllaba sit acuenda, satis est quae de eiusdem generis clausulis monuit Quintilianus l. nuper adl. considerare: *permolle* autem ne cum laude dictum esse putemus, et totius loci ratio monet et iam docuit LUC. MUELLERUS, *d. r. m.* p. 211. Praeterea in his exemplis nimium pondus habere videntur, idque in gravioribus versuum sedibus, syllabae quae a declinatione manant, cum nihil ad vim ipsam verborum conferant, quae contra «ampullari» et inaniter sonare dixeris. De hac quaestione, quae in accentu verborum eorumque ictu in oratione numeris astricta versatur, nuper scripsit apud nostrates, praeter RAMORINUM, quem supra laudavi,

quod Graeci, assueti verba in fine acuere, haudquaquam cavebant. Cfr. Hermann. l. adl. *Elementa* cett. p. 358. Atque id quoque sequebatur, ut pentameter, quem grammatici cuiusdam verbo usus primam veramque hexametri *subolem* dixi, ad sui tamquam parentis, ut hac translatione uti non desinam, imaginem similitudinemque propius accederet. Namque, id quod iampridem compertum exploratumque est, cum vocibus vel bisyllabis vel trisyllabis hexametri ad fere constantem atque universam optimorum poetarum regulam exaequati maximam partem concluderentur [1], prope necessario fiebat ut, cum esset hexameter series pedum catalectica in bisyllabum, pentameter autem in syllabam, hic versus, una syllaba in extremo hexametri hemistichio posteriore detracta, clausula bisyllaba finiretur: hoc vero in hexametri clausula t r i s y l l a b a factum esse, animo fingamus necesse est, cum ex clausula hexametri b i s y l l a b a si syllabam recidi demique posse statueremus, forma oriretur pentametri admodum vitiosa atque intoleranda, utpote quae mono-

---

HUMB. RONCA, *Metrica e ritmica latina nel M. E.* Parte I. *Primi monumenti ed origine della poesia ritmica latina.* Roma, 1890, p. 103 seqq.; cfr. etiam, quos nominat RAMORINUS l. adl. p. 5 adn. 3, JOHANNSON, *Consensus qui potest inveniri inter accentum et ictum apud comicos latinos, utrum fortuitus sit necne* («Comment. Acad. Upsala»). Venersb., 1888, et WULFF, *Von der Rolle des Akzentes in der Versbildung* («Skandinav. Archiv», t. III, p. 499). His adde G. MEYER. *Anfang und Ursprung der lat. u. griech. rythm. Dicht.* (in *Abhandl. der k. bay. Akad.* I Cl. XVII Bd. II Abth.). München, 1885, p. 3 seqq. (=267 seqq.); HUMPHREYS. *Quaest. metr. de accentus mom. in v. her.* Lips. 1874, p. 2; H. WEIL et TH. BENLOEW. *Théorie générale d'accentuation Latine.* Paris, 1856, p. 74 seq.; FR. ZAMBALDI. *Il ritmo dei versi ital.* Torino, 1874, p. 16 seq.; IOS. FRACCAROLI. *Saggio sopra la genesi della Metrica Classica.* Firenze, 1881, p. 15. 22.

[1] De qua re cfr. FR. FIEDLER. *Die Versk. der lat. Sprache.* Soest, 1862, p. 46 seq.

syllabo terminaretur: ut merito atque optimo iure sic concludat Luc. Muellerus d. r. m. p. 215, «ceteros modulos exeuntis versus elegiaci ob id ipsum esse deformes, quod addita syllaba habeantur heroico metro vitiosi» [1]. Cfr. etiam Meyer. l. adl. *Zur Geschichte* cett. p. 1043.

Denique, quod est quoque non parvi faciendum in praecipuis elegiae Latinae scriptorum principum laudibus, hi ipsi tum dactylorum numerum augentes, tum vocabula dactylica convenienter apteque collocantes adeo facilem expeditamque ac paene dixi alatam stropham elegiacam reddiderunt, ut haec ad omnes vel minimos sensus animi motusque exprimendos effingendosque optime accommodaretur. Quam metri pulchritudinem ac speciem ut assequerentur, mirum quantum elaborarunt ii maxime Romanorum poetae qui Augusti circiter temporibus excellentes exstiterunt: ut non iniuria de universa poesis condicione iudicasse Muellerus videatur cum fere scriberet, Romanos non minus fortiter ac gloriose cum externarum nationum populis pugnasse quam cum suae ipsorum linguae difficultatibus asperitatibusque conflictatos esse [2].

---

[1]) Hexametrum elegiacum cum aliis causis tum hac etiam ab heroo differre quod, in largiore versuum copia re examinata, clausulis trisyllabis saepius terminatur quam bisyllabis, et supra vidimus et numeris confirmavit Hultgrenus l. adl. *Observationes* cett. II, p. 1 seqq. Cuius rei causam non solum hanc fuisse puto, quod, cum pentameter tam multas sibi postularet clausulas bisyllabas, huius generis pauciores supererant ad hexametrum concludendum, sed hanc quoque, quod minus placere oportebat, utrumque strophae elegiacae versum iusto saepius sic terminari, ut et hexametri et pentametri clausulae pari syllabarum numero essent.

[2]) *Q. Ennius. Eine Einleitung* cett. p. 289: «Man kann sagen, die Jugend Roms hat nicht minder mannhaft mit den Schwierigkeiten des noch jungen, erst seit kurzem litterarisch ausgebildeten Latein gerun-

Atque illud quoque sequitur, ut quod iam antea de antiquiorum poetarum neglegentia nullaque arte querebatur Horatius cum diceret, Latium non minus virtute clarisve armis potentius futurum fuisse quam lingua, si non offenderet unumquemque poetarum limae labor et mora [1], id, inquam, cum ad alios tum ad poetas elegiacos qui aetate Augusti floruerunt (de his enim nunc agitur) minimum pertinere atque adeo contrarium verum esse appareat.

Quae cum universe proposuerim, ad singula iam aggrediar.

Quanta fuerit gentis Romanae dignitas atque gravitas, ex hoc quoque existimare licet, ut supra dictum est, quod sermo ipse Latinus (ut inter omnis populi naturam et linguam summus est consensus ac tamquam adfinitas [2]), maxima spondeorum copia atque ubertate pollet. Quod certe carminis metro artique non multum officiebat quamdiu ex versibus vel saturniis vel iambicis et trochaicis tota fere constabat Romanorum poesis. Posteaquam vero

---

gen, wie einst im zweiten punischen Krieg ihre Vorfahren mit Hannibal». Cfr. eiusdem *Die Entstehung der röm. Kunstdicht.* Hamb. 1890, p. 7. Cfr. etiam I. M. Guardia l. adl. p. 733 et Hultgren. l. adl. *Die Technik* cett. p. 753 seqq. et p. 771. Praeterea quam diligenter Romani artis praecepta observaverint et quantum «haec eruditio scholica valuerit ad artem poetarum metricam et grammaticam sive constituendam sive immutandam», scriptorum locis appositis, docet idem Luc. Muell. *d. r. m.* p. 12 seqq.

[1]) Ep. II, 3, 289 seq.; cfr. Ep. II, 2, 109 seqq. et Sat. I, 10, 67 seqq. Quo certe in genere si elegiacum carmen intellexeris et huius etiam formam respexeris, ad poetas elegiacos iure meritoque referri posse iudicium illud dixeris, quod antea Cicero nimiae fortasse rerum domesticarum admirationi indulgens civiumque studiis vanitatique obsecutus tulit, cum scriberet, Romanos accepta a Graecis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.

[2]) De quo tamquam necessitudinis vinculo nuperrime disseruit L. O. Weise. *Charakteristik der lat. Spr.* Leipz. 1891, p. 9. 73 seq., aliis locis.

metra dactylica Romam ex Graecia illata sunt, magna tum difficultate affici necesse erat poetas Latinos, propterea quod pauca admodum eis praesto erant, quibus versus efficerent, vocabula dactylica. Quamquam enim universae numerorum dactylicorum normae nihil obstabat, quominus aut maximam partem atque etiam totum meris spondeis conderent hexametrum vel distichon ipsum (iis videlicet locis exceptis, in quibus ex metri lege dactyli requiruntur), aut pedibus trochaicis cum iambicis apte consociatis, aut aliis verba copulandi conectendique rationibus usi pedes efficerent dactylicos, tamen nemo non videt ac sentit, quam omni arte elegantiaque careant quamque graves cadant et ab aurium approbatione abhorreant (ut saepissime versus ita facere paene cogebantur poetae dactylici Romanorum antiquiores) numeri qui ita sint: *Unus homo nobis cunctando restituit rem* (Enn. Ann. 286 M.), vel *Qui te lenirem nobis, neu conarere – Telis infestis icere mi usque caput* (Cat. 116, 3 seq.): quibus in versibus, ut cuique patet, nihil, praeter nuda ac tantum necessaria hexametri vel pentametri lineamenta habitumque, iam superest, unde natura metri dactylica agnosci possit. Itaque apparet, in eo summe elaborandum fuisse Romanis, ut quam maxime possent sermonem patrium vocibus dactylicis augerent atque locupletarent: quod cum aliis rationibus tum etiam sic perficere studebant, ut modo numerum pluralem ponerent pro singulari (ut *nomina* pro *nomen*, *numina* pro *numen* et quae sunt similia), modo infinitum verbum temporis perfecti pro praesenti usurparent (ut *composuisse* pro *componere*, *inseruisse* pro *inserere* [1]) cett.: quo fiebat ut vel pro uno duo fere dactyli

---

[1]) Quod cum apud ceteros, tum maxime apud Tibullum invenitur,

adquirerentur – nam syllaba brevi accedente alter dactylus facile exoritur – vel quaedam verba in modum infinitum inclinarentur, quae, nisi ita esset, a metro dactylico essent aliena), modo quorumdam adiectivorum vel participiorum tertiae declinationis casum ablativum vocali *e* pro *i* terminarent, vel quaedam verborum tempora ac personas vocali *e* pro *is* vel *unt* finirent, modo vel eadem vocabula repetentes vel encliticum *que* [1] aliave scite usurpantes vel hexametri pentametrique verba convenienter disponentes vel aptis verborum transgressionibus aliisque denique rationibus utentes (cfr. Hultgr. l. adl. *Die Technik* cett. p. 754 seqq. et maxime p. 759 seqq.), id quod volebant consequerentur. [2]

---

qui etiam παραλληλισμόν quendam (id quod princeps animadvertit Gruppius l. adl. p. 19) in verbis disponendis sequitur, ita ut hexametro modus infinitus temporis praesentis, pentametro, idque in simili loco, infinitus praeteriti contineatur, ut I, 10, 61 seq.: «Sit satis e membris tenuem *rescindere* vestem, — Sit satis ornatus *dissoluisse* comae» (cfr. I, 1, 45 seq.; 73 seq.; 8, 11 seq. cett.). Hanc eandem verborum concinnam collocationem saepe etiam reperias, cum utrumque verbum infinito temporis praeteriti effertur (ut I, 2, 81 seq.; 4,47 seq.; 8, 9 seq. cett.): eiusmodi autem infinitos cum ad hexametrum tum ad pentametrum apte concludendum valde esse accommodatos, quis est quin videat?

[1]) «Die Verbindung der Coniunction *que* mit dem in der Mitte des Verses stehenden Verbum findet sich am häufigsten in Pentametern und zwar in den Elegien Tibulls». Fr. Fiedler. l. adl. *Verskunst* cett. p. 92. Cfr. Dissen. in *Comment.* ad Tib. I, 1, 51 *O quantum est auri potius pereatque smaragdi*, p. 21: «Hanc ego verborum collocationem a Tibullo profectam credo.... Est vero collocatio ita facta, quasi bis adesset verbum cett.» (item in pentametris I, 3, 56 ; 4, 2 cett.). Cfr. etiam Max. Krafft. *De artibus quas Tibullus et Lygdamus in versibus concinnandis adhibuerunt*. Hal. 1874, p. 4 et adn. 2, et Heindorf. ad Horat. Sat. I, 6, 43.

[2]) Etiam in iis nominibus propriis usurpandis, quae a metro dactylico aliena essent, sic versati sunt poetae Romanorum elegiaci ut aut ad circumlocutiones confugerent aut perquam raro aliquid sibi sumerent.

Sed hac quoque via et ratione spondeorum inopiae metrique difficultati occurrere ac mederi studebant. In initiis enim et hexametrorum et pentametrorum (quod paullo saepius in illorum initiis quam in horum apud Ovidium, contra autem fit apud ceteros) plerumque posuerunt vocabula aut dactylica aut a dactylis incipientia; ex quo efficiebatur, ut numerus ipse versuum, etiamsi plures essent in distichis spondei quam dactyli, dactylicus videretur, cum iis, dactylis in primis eorum sedibus collocatis, color tamquam ac species dactylica imponeretur motusque rhythmicus, liceat sic fari, dactylicus statim a principio oriretur ac per totum versus ambitum vel certe bonam eius partem tamquam propagaretur: ut enim in aliis rebus, ita est in versibus *ἡ ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός*. Praeterea cum primae sedes et postremae in versibus omnium gravissimae sint (in hoc enim quoque genere extremum quodque adfine videtur et quasi coniunctum) id apparet, dactylum in principio positum non paullum conferre ad naturam versus dactylicam declarandam. Quod quidem facere minus cogebantur Graecorum poetae cum dactylici tum imprimis elegiaci, quorum cum lingua vocibus dacty-

Quin immo ne artis praecepta migrarent, illa omnino nonnumquam omiserunt: qua in re ea etiam documento sunt quae in nomine *Tuticani* (quod, ut pes modo ditrocheus, modo epitritus secundus, in versum dactylicum apte cadere non poterat) non insulse ille quidem iocatur Ovidius Ep. ex P. IV, 12, 1-18 (cfr. 14, 1–2). In versu hexametro cfr. etiam Horat. Sat. I, 5, 87 (coll. cum Luc. VI, 39, p. 35 M.). Quo in genere minus certe diligentes ac severi fuerunt Graecorum scriptores elegiaci: cfr. quae de nominibus Ἀριστογείτονος apud Simonidem et Ἀλκιβιάδου apud Critiam, quibuscum alia nomina propria a Romanis ad metrum dactylicum apte accommodata comparat, HULTGRENUS disputat l. adl. *Die Technik* cett. p. 768 seq.

licis multo uberior esset quam spondiacis, ut illa tamquam ultro scribentibus se offerrent, id sane metri dactylici naturae minus adversabatur, quin immo ad numeri varietatem multum conferebat, si crebro a vocibus spondiacis (idque profecto saepius pro rata parte apud Graecos quam apud Romanos) eorum versus dactylici ordiebantur [1]. Itaque natura distichi Latini dactylica (ut Romani accuratius elegantiusque hanc stropham quam Graeci effinxerunt) vel ex eo declaratur quod pentameter, in quo distichi tamquam animam spirare diximus, maxime ex parte dactylicus est: nam non solum in posteriore hemistichio duo pedes da-

---

[1]) Cfr. HULTGRENUS l. adl. *Statist. Unters.* cett. p. 11. Cum ex tabula, quam in conspectu posuit HULTGRENUS (*Observationes* cett. I, p. 8), conficiatur, numerum pedum dactylicorum apud Theognidem et poetas elegiacos eos, qui ante Theognidem floruerunt, in versibus hexametris 962 esse 2539, spondeorum autem 1309, ut inter centenos versus ratio sit dactylorum 66,35%, spondeorum 33,65% (ex singulis summis, quas HULTGRENUS confecit, summam ipse universitatis subduxi), initia dactylica sunt 507 (i. e. in centenis versibus 52,30%), spondiaca 455 (i. e. in centenis versibus 47,70%); ita ut cum multo maior sit numerus pedum dactylicorum quam spondiacorum (est enim summa spondeorum fere dimidio minor quam dactylorum), paullo admodum (4,60%) plura reperiantur principiis spondiacis principia dactylica. Quae utraque ratio quam differat a Romanorum, mox viderimus. Aliquanto contra maius est discrimen quod inter poetas Graecorum, quos nuper indicavi, et eos, qui post Theognidem fuerunt, intercedit: horum enim in versibus hexametris 381 cum dactyli sint 1019, spondei 505 (ut hic quoque numerus pedum dactylicorum altero tanto maior sit spondiacorum), initia sunt dactylica 235, spondiaca 146: ut hae rationes efficiantur: 61,70% et 38,30%. Hos vero poetas, qui maximam partem aetatis Alexandrinae sunt, hac etiam in re, ut in aliis, secutos esse poetas Romanorum elegiacos ex numeris, quos infra subiciam, apparebit. Eaedem fere rationes atque in hexametris sunt in pentametris (cfr. HULTGR. p. 11, tab. V —: nam HULTGRENUS pentametrum tractavit seorsum ab hexametro), nisi quod in pentametris summa versuum a spondeis incipientium paullo maior est initiis dactylicis: qua in re nulla est offensio, cum pentameter in altera parte satis sit per se ipse dactylicus.

ctylicos esse necesse est, sed etiam in priore initia dactylica omnium creberrima reperiuntur.

Quae vero ratio pedum dactylicorum spondiacorumque ex versibus hexametris et pentametris eorum, quae proprie examinanda suscepi, carminum elegiacorum exstet, ex hisce numeris constabit [1]:

Apud enim Tibullum haec est dactylorum spondeorumque ratio:

Universus dactylorum numerus est 2094, spondeorum 2052, atque proprie in libro I dactyli insunt 1218, spondei totidem, i. e. 1218, in libro II dact. 672, spond. 612, in libro IV dact. 204, spond. 222.

Apud vero Propertium haec est ratio:

Universus dactylorum numerus est 5617, spondeorum 6413, atque proprie in libro I dactyli insunt 1003, spondei 1115, in libro II dact. 486, spond. 576, in libro III dact. 1337, spond. 1687, in libro IV dact. 1418, spond. 1552, in l. V dact. 1373, spond. 1483.

Apud denique Ovidium haec est ratio:

Universus dactylorum numerus est 4118, spondeorum 3244, atque proprie in libro I dactyli insunt 1361, spondei 955, in libro II dact. 1340, spond. 1096, in libro III dact. 1417, spond. 1193.

Quibus ex numeris colligitur, pedum dactylicorum abun-

---

[1]) Quibus in pedibus enumerandis sic versatus sum, ut in hexametris quaternos pedes priores, in pentametris binos priores considerarem, idque ob eam causam quam supra exposui (p. 76 adn. 2). Itaque versus neglexi spondiazontas septem apud Propertium, duos in Ovidii Amorum libris (cfr. p. 72 seq. adn. 5). Etiam si in hisce et iis, quae sequuntur, rationibus conficiendis uno alterove numero peccavi (id quod non spero), hoc fidenti animo adfirmaverim, haec errata non eiusmodi esse, ut ea, quae universe ex nostris numeris effecta sunt, tollantur aut labefactentur.

dantia Ovidium ceteris antecellere: eius enim dactylos si cum spondeis mathematicorum viam secuti comparabimus, hanc fere esse eorum rationem reperiemus – 127 : 100; paullo contra dactylorum numerus spondeos superat apud Tibullum, quorum haec est fere ratio – 102 : 100; contra apud Propertium, quae maior est eius orationis gravitas, pedum dactylicorum numerus minor est quam spondiacorum, cum utrorumque ratio fere sit – 87 : 100. Igitur cum apud Tibullum in versibus 1382 (vel distichis 691) dactyli sint 2094, spondei 2052, sequitur, ut inter centenos versus [1] dactyli fere reperiantur 151,52 (= 50,51 $^0/_0$), spondei 148,48 (= 49,49 $^0/_0$ [2]); ac rursus cum versuum numerus apud Propertium sit 4010 (= dist. 2005), dactylorum autem 5617, spondeorum 6413, inter centenos versus dactylos invenias 140,09 (= 46,69 $^0/_0$), spondeos 159,91 (= 53,31 $^0/_0$); denique cum Ovidii versus sint 2454 (= dist. 1227), dactyli autem 4118, spondei 3244, inde efficitur, ut inter centenos versus dactyli reperiantur 167,81 (= 55,94 $^0/_0$), spondei 132,19 (= 44,06 $^0/_0$).

---

[1]) Vel disticha: sed si in distichis rationes hae considerantur, necesse est, singulos numeros, qui ad dactylos vel spondeos in versibus (hexametris pentametrisque) anquisitos pertinent, reduplicare.

[2]) Praeter alia, ex hoc quoque argumento conficitur, elegiarum librum tertium non esse Tibullianum, quod longe distat spondeorum et dactylorum ratio, quam modo eruimus, a ratione libri tertii. Cum enim Lygdami elegiarum versus sint 290 (= dist. 145), spondei insunt 498, dactyli 372: ita ut spondei cum dactylis comparati hanc fere exhibeant rationem 134 : 100; i. e. in centesimo quoque versu spondei reperiuntur 57,26 $^0/_0$, dactyli 42,74 $^0/_0$. Hanc eandem ob causam eo minus recte iudicasse Gruppium contendo, qui libri tertii elegias Ovidii nomini addicere voluerit (l. adl. p. 133). Quid? Nonne ratio dactylorum spondeorumque Ovidiana, ut alia mittam, a libri tertii auctore prorsus dissimilis atque adeo contraria sententiam eius falsam declarat? Ceterum hac in re cfr. etiam Stampini. l. adl. *La poesia romana* cett. p. 24 seq.

Quod si etiam animadvertatur, in hexametris, dummodo pauci sane excipiantur spondiazontes, quintum, in pentametris quartum et quintum quemque pedem semper esse dactylicum, quis non videt, quanto maior dactylorum numerus exsistat, ut hoc sine ulla iam dubitatione adfirmari possit, apud optimos elegiae Latinae scriptores habitum ac speciem, ut ita dicam, metri multo maiore ex parte dactylicam esse? quod et carminis elegiaci naturae consentaneum est et ad strophae ipsius expeditam ac profluentem quodammodo levitatem volubilitatemque elegantem plurimum valet. Qua in re primas Ovidio, secundas Tibullo, tertias vero Propertio deferendas esse, nostri numeri satis aperte docent.

Sed in hac quoque re Propertius a ceterorum arte recedit, quod non solum spondeis crebrius utitur quam dactylis, sed etiam, id quod verae distichorum naturae ipsi paullum obesse videtur, rarius quam ceteri in hexametrorum et pentametrorum capitibus dactylos ponit, ut ex iis, quae sequuntur, plane constat:

Apud enim	Tibullum	initia sunt	dactylica	1097
»	»	»	spondiaca	285
»	Propertium	»	dactylica	2693
»	»	»	spondiaca	1317
»	Ovidium	»	dactylica	1926
»	»	»	spondiaca	528 [1]

[1]) Qui numeri qua ratione in singulis poetarum elegiacorum libris atque in hexametris pentametrisque separatim examinatis reperian-

Igitur cum apud Tibullum versus sint 1382, in centenis versibus septuageni noveni (accuratius 79,38 $^0/_0$) a dactylo, viceni (accuratius 20,62 $^0/_0$) a spondeo incipiunt; cum vero apud Propertium versus sint 4010, sexageni septeni (accuratius 67,16 $^0/_0$) a dactylo, triceni bini (accuratius 32,84 $^0/_0$) a spondeo ordiuntur; cum denique apud Ovidium versus sint 2454, septuageni octoni (accuratius 78,49 $^0/_0$) a dactylo, viceni singuli (accuratius 21,51 $^0/_0$) a spondeo initium sumunt. Inde patet, Tibullum, tametsi spondeis crebrius ille quidem utitur quam Ovidius, in artificio dactylos in versuum capitibus

---

tur, tabella quae sequitur explanabit:

Apud Tibullum

	Initia dact.		Initia spond.	
	In hex.	In pent.	In hex.	In pent.
L. I.	307	337	99	69
» II.	173	180	41	34
» IV.	52	48	19	23
	532	565	159	126
Summa	1097		285	
Summa univ.	1382			

Apud Propertium

	Initia dact.		Initia spond.	
	In hex.	In pent.	In hex.	In pent.
L. I.	213	279	140	74
» II.	99	120	78	57
» III.	286	344	218	160
» IV.	317	340	178	155
» V.	347	348	129	128
	1262	1431	743	574
Summa	2693		1317	
Summa univ.	4010			

Apud Ovidium

	Initia dact.		Initia spond.	
	In hex.	In pent.	In hex.	In pent.
L. I.	301	317	85	69
» II.	336	302	70	104
» III.	334	336	101	99
	971	955	256	272
Summa	1926		528	
Summa univ.	2454			

ponendi rationem Ovidianam exaequare atque adeo paullo superare, cum Propertius contra non solum spondeis magis abundet quam ceteri, sed etiam saepius quam ceteri a spondeis versus exordiatur.

Quod si quaerimus, utrum hexametri an pentametri saepius apud optimos elegiae Latinae scriptores a dactylis incipiant, sic reperiemus:

Apud Tibullum universa hexametrorum initia dactylica sunt 532, pentametrorum 565, apud Propertium hex. init. dact. 1262, pentametrorum 1431, apud Ovidium hex. init. dact. 971, pentametrorum 955: inde cum uterque numerus, et hexametrorum et pentametrorum, apud Tibullum sit 691, apud Propertium 2005, apud Ovidium 1227, in centesimo quoque versu has fere rationes exstare necesse est:

Apud Tibullum	initia	hexametrorum	dactylica	76,99 %
»	»	pentametrorum	»	81,76 %
» Propertium	»	hexametrorum	»	62,94 %
»	»	pentametrorum	»	71,37 %
» Ovidium	»	hexametrorum	»	79,13 %
»	»	pentametrorum	»	77,83 %

Qua ex tabella, ut cuique perspicuum est, id, re universa considerata, colligitur, non multum distare pentametrorum initia dactylica ab hexametrorum, nisi quod apud Ovidium, summum versuum artificem, horum et illorum initia fere paria sunt, cum discrimen vix numero 1,30 % indicetur; contra apud Tibullum paullo maior est differentia (=4,77 %), et eo aliquanto maior apud Propertium (=8,43 %), qui

saepius pentametros quam hexametros a dactylis ordiuntur; qua in re quoque magis est laudandus mea sententia Ovidius quam ceteri: sentiebat enim vir teretibus auribus exquisitoque iudicio ornatus, initia dactylica et in hexametris et in pentametris aut exaequari oportere aut, si alteruter numerus maior esse deberet, longe praestare, hexametros potius quam pentametros a pedibus dactylicis saepius incipere: cum enim pentameter in altera parte satis esset per se dactylicus, eundem minus oportere iudicabat a dactylo initium ducere: videbat contra quantum ad totius carminis pulchritudinem elegantiamque pertineret si iam ab initio distichi, h. e. in capite hexametri, crebrius quam a medio disticho, h. e. in capite pentametri, numerus dactylice, ut ita dicam, sonaret, quo melius natura strophae elegiacae dactylica statim praemonstraretur atque adumbraretur et, ut hanc in dactylicum numerum desinere necesse esset, sic ab eodem numero quadam cum metri congruentia atque concinnitate inciperet. Quanto vero magis in carmine elegiaco quam in epico non solum universa dactylorum copia, sed etiam arte eximia dactylos in hexametrorum capitibus saepius collocandi excellat Ovidius, numeris utriusque generis propositis docet Hultgrenus l. adl. *Die Technik* cett. p. 750. Cum denique ex quattuor rationibus, quibus hexametri, quod ad eorum initia attinet, cum pentametris coeunt, primum sibi vindicet locum ratio ea, qua hexameter a dactylo surgens cum pentametro similiter condito (quod sic indicabo *Dd*) iungitur, hanc subsequitur altera ratio, qua hexameter tali modo confictus cum pentametro a spondeo ordiente copulatur (*Ds*): quae ratio universa duas reliquas rationes coniunctas (*Sd* et *Ss*) numero exsuperat. Cfr.

Hultgren. ibid. p. 752 et *Statistische Unters.* cett. p. 3 seqq.

Venio nunc ad rationem eam, quam poetae Romanorum elegiaci in quaternis hexametrorum, binis pentametrorum pedibus prioribus varie collocandis secuti sunt. Dactylos vero et spondeos litteris *d* et *s* usus sic disposui, ut (contra ordinem illum, quem nullum rectius dixeris, qui est apud Hultgrenum locc. adl. *Observationes* cett. I, p. 4 et *Die Technik* cett. p. 747) primum ii versus hexametri indicarentur, quorum in quaternis sedibus prioribus omnes dactyli essent (*A*), deinde ii, qui iisdem in locis omnes spondeos praeberent (*B*). In subsequentibus autem ordinibus vel primum vel secundum vel tertium vel quartum quemque locum aut dactylus aut spondeus occupat, cum reliqui pedes aut spondei aut dactyli sint (*C* et *D*); deinde et dactyli et spondei alternis vicibus coniunguntur (*E*); tum aut duos dactylos aut duos spondeos duo aut spondei aut dactyli excipiunt (*F*); postremo aut duo spondei aut duo dactyli duobus aut dactylis aut spondeis continentur (*G*). Hinc sedecim versuum genera vel formas vel species (graece dixeris σχήματα) gigni necesse est, quas in oculis conspectuque eorum, qui legent haec, expono:

A)	1) *dddd*	*D*	7) *sddd*	*E*	11) *dsds*		
B)	2) *ssss*		8) *dsdd*		12) *sdsd*		
C	3) *dsss*		9) *ddsd*	*F*	13) *ddss*		
	4) *sdss*		10) *ddds*		14) *ssdd*		
	5) *ssds*			*G*	15) *dssd*		
	6) *sssd*				16) *sdds*		

Eadem fere dicenda de pentametro, ut hac quattuor eius

formae statuendae sint:

1) *dd*; 2) *ss*; 3) *ds*; 4) *sd*.[1]

Forma hexametrorum longe omnium frequentissima (an etiam praestantissima? [2]) ea est, in qua dactylum in prima regione positum tres spondei insequuntur, i. e.

---

[1]) Hic locus, qui est de pedibus metricis varia ratione tractandis, nominari potest, auctoribus DROBISCHIO (*Ein statistischer Versuch über die Formen des lat. Hex.* in *Bericht. der phil.-hist. Cl. der k. sächs. Ges. d. Wiss.* a. 1866, p. 138) et HULTGRENO (*Observationes* cett. I, p. 3, et *Die Technik* cett., p. 746), osteologia, quasi dixeris disciplinam de distichi ossibus seu elementis; ex qua postea efficietur altera disciplina, quam, iisdem auctoribus, appellaveris syndesmologiam. Per se autem patet, leges eas, quae ex huiusmodi pervestigatione erui atque statui possunt, non in singulis versibus, sed in maiore horum multitudine valere, ut etiam monet HULTGRENUS, *Observationes* cett. p. 12; quod fieri semper necesse est in disciplina illa (— hanc nostrates dicunt «Statistica» —), qua numeris demonstratur, quid rationis sit inter totum et singulas partes. Si quis vero huiuscemodi studia (quae quidem putida ac morosa videri possunt primo obtutu, sed ex quibus etiam aliquid demum certi conficitur) naso suspendere acuto velit, is legat, quaeso, quae vir doctissimus et idem philosophus, DROBISCHIUM dico, defendit op. adl. *Ein statist. Versuch* cett. p. 77 seq. et p. 138 seq.

[2]) Compertum exploratumque est, in metro heroo eam formam a scriptoribus rei metricae exquisitissimam duci, in qua duos priores dactylos duo spondei subsequantur (ex nostra tabella fig. F, 13, *ddss*); itaque incipiunt Vergilii Aeneis, Ovidii Metamorphoses, Pharsalia Lucani (de qua re cfr. FR. ZAMBALDI. *Metrica* cett. p. 238 et LUC. MUELL. *d. r. m.* p. 142); num idem dicendum de hexametro in metro elegiaco? Nonne ex frequentia formae *dsss* conici fortasse potest, hanc hexametri formam maxime adamasse eamque ob causam pulcherrimam metrique naturae aptissimam habuisse poetas Romanorum elegiacos? Nam cum hexameter elegiacus non κατὰ στίχον, sed cum pentametro coniunctus usurparetur, eundem idcirco minus oportebat a duobus dactylis incipere, quod in exitu pentametri, quo stropha ipsa concludebatur, numerus dactylicus satis aperte exstabat. Ceterum hexametros formae ipsius *ddss* crebro factitatos esse a poetis elegiacis, mox viderimus, quippe quae forma secundum sibi vindicet locum.

forma C, 3) *dsss*, cuius plurimus minimusque numerus vel *numerus medius*, ut mathematicorum sermone utar, apud universos elegiacos fere est 15,80 % (atque proprie apud Tibullum 17,20 %, apud Propertium 16,82 % apud Ovidium 13,37 [1]): quam formam subsequitur haec: *ddss* (F,13), quae in poetarum Romanorum principum elegiis in centenis versibus invenitur duodecies (rectius 12,29 %; atque proprie in Tibulli elegiis 13,50 %, in Propertii 10,48 %, in Ovidii 12,90 %). Deinde hoc ordine reliquae formae sequuntur:

III. *dsds*	– n. med.:	11,77 %	(= T. 14,80 %;	P. 10,34 %;	O. 10,17 %)
IV. *dssd*	»	8,80 %	(= » 7,13 %;	» 7,87 %;	» 11,57 %)
V. *sdss*	»	7,53 %	(= » 6,30 %;	» 11,84 %;	» 4,47 %)
VI. *ddsd*	»	7,49 %	(= » 5,80 %;	» 5,70 %;	» 10,97 %)
VII. *ddds*	»	6,97 %	(= » 8,30 %;	» 5,42 %;	» 7,20 %)
VIII. *dsdd*	»	5,17 %	(= » 5,25 %;	» 3,80 %;	» 6,50 %)
IX. *sdds*	»	4,13 %	(= » 4,60 %;	» 3,96 %;	» 3,86 %)
X. *ssds*	»	4,01 %	(= » 5,01 %;	» 4,68 %;	» 2,37 %)
XI. *sdsd*	»	3,67 %	(= » 3,05 %;	» 4,44 %;	» 3,53 %)
XII. *ssss*	»	3,64 %	(= » 3,15 %;	» 5,94 %;	» 1,83 %)
XIII. *dddd*	»	3,59 %	(= » 2,70 %;	» 1,64 %;	» 6,43 %)
XIV. *sssd*	»	2,53 %	(= » 2,45 %;	» 3,26 %;	» 1,90 %)
XV. *ssdd*	»	1,31 %	(= » 0,50 %;	» 1,94 %;	» 1,50 %)
XVI. *sddd*	»	1,30 %	(= » 0,65 %;	» 1,82 %;	» 1,43 %).

---

[1]) In his versuum formis definiendis utor numeris Hultgreni, ita tamen ut et Tibulli libri tertii elegias excludam et Ovidii Amorum libros dumtaxat spectem. Praeterea hanc rem ipsam aliter ipse tractavi et disposui, ex numerisque singulis non solum poetarum sed etiam librorum medium quem dixi numerum ipse indicavi. Qua in re si interdum numeri non ad amussim, ut aiunt, exacti sunt, id eo factum est, quod Hultgrenus praeter numeros integros numerorum fractorum usque ad decimas partes, ipse, ut mihi semper constarem, usque ad centesimas rationem duxi. Sed discrimina levia sunt ac nihili facienda vi-

Quas si propius inspexerimus ac subtiliore iudicio examinarimus, primum cognoscemus, formam *dsss*, in qua dactylum tres spondei excipiunt, non solum si medii numeri, qui dicitur, apud universos poetas elegiacos rationem ducamus, sed etiam apud singulos omnium creberrimam esse: ut, quod iam supra commonuimus, haec omnium optima sit habenda. Deinde id est animadvertendum, huius tabellae formas priores inde a prima usque ad octavam, h. e. usque ad dimidiam partem, quae reliquis cum crebriores sunt, tum etiam elegantiores videntur, ad unam fere omnes a dactylis incipere, nisi quod forma *sdss*, quae quintum sibi vindicat locum, excipienda est: sed huius rei causa ex eo, ut mihi quidem videtur, maximam partem est repetenda, quod haec forma multo saepius invenitur apud Propertium, quem non solum spondeis magis quam ceteri uti, sed etiam in arte a dactylis versus ordiendi ceteris inferiorem esse diximus: ut haec forma apud Propertium (=11,84%) fere duplo saepius quam apud Tibullum (=6,30%), fere triplo saepius quam apud Ovidium (=4,47%) reperiatur. Figurae autem sexti, septimi, octavi loci, in quibus plures sunt dactyli quam spondei, numero longe distant in Propertii elegiis a Tibullo (formam sextam si forte excluseris), maxime vero ab Ovidio. Etiam formae *ssss* et *dddd* mira fere aequalitate apud u n i v e r s o s poetas elegiacos usurpatae inveniuntur (occupant enim duodecimum et decimum tertium locum, cum discrimen harum rationum fere sit 0,05%); hasce vero for-

---

dentur. Praeterea cfr. Drobisch. l. adl. *Ueber die Classif.* cett., qui aliam ille quidem viam et rationem secutus ad eundem fere exitum pervenit; cfr. maxime pagg. 9. 13. 15. 18, al. locc.

mas idcirco non solum pari fere numero esse apud poetas elegiacos principes, sed etiam rarius reperiri opinor, quia numerum sine concinna aptaque spondeorum dactylorumque varietate, sed aut omnino dactylicum aut omnino spondiacum, aeque in vitio esse putabant veteres [1], nisi causa aliqua, quae dicitur, rhetorica subesset, ut versus aut spondeorum pondere gravis ac tamquam sollemnis aut dactylorum levitate facilis expeditusque ad sententiam verbis prope ipsis exprimendam accommodaretur. Sed hoc quoque loco illud in singulorum poetarum elegiis considerandum est, cum utraque forma apud Tibullum non multum numero differat, apud Propertium formam spondiacam *ssss* (cuius est ratio 5,94 %) forma dactylica *dddd* (cuius est ratio 1,64 %) longe frequentiorem esse, cum prorsus contrarium sit apud Ovidium, qui forma dactylica *dddd* (= 6,43 %) multo crebrius utitur quam spondiaca *ssss* (= 1,83 %).

Inter figuras denique omnium deterrimas quarti decimi, quinti decimi, sexti decimi loci (*sssd*, *ssdd*, *sddd*) nullum aut non ita magnum discrimen est, idque non solum apud singulos poetas, verum etiam apud universos. Qua in re id quoque animadvertatur, formas, quae locum

---

[1]) Cfr. Mar. Victor. II, 2, 19 (Vol. VI, p. 71 seq. K): «Heroi versus vitiosi habentur qui ex solis dactylis vel qui ex solis spondeis constant, quia in talibus aut gravis tarditas aut velocitas nimia vitiosa est». Qua partim in re inter seriores Graecorum poetas epicos peccasse Nonnum, qui quandam quasi familiam duxit, vidimus, cuius versus, cum duos spondeos nusquam ille quidem ponat continuos, tanta volubilitate et celeritate fluere videntur, ut «recitantem non consistere sinant, sed rapiant secum atque auferant, pereatque illa praeclara numerorum varietas, quam in Homericis carminibus admiramur» (HERMANN. l. adl. *Epitome* cett. p. 117).

aut ultimum aut proximum a postremo occupant, formas dico *sddd* et *ssdd*, formis primi et secundi loci (*dsss* et *ddss*) contrario omnino tamquam ordine respondere, ita ut et primarum formarum excellentia et extremarum pravitas his quoque numeris luculentissime confirmentur.

Quod si schemata superiora cum iis formis conferre volumus, quibus poetae Graecorum elegiaci usi sunt, videbimus, hac quoque in re multum differre Graecos a Romanis; cuius rei causam gravissimam in contrariis fere linguae Latinae et Graecae naturis, quarum altera, ut ita dicam, maximam partem spondiaca, altera dactylica est, positam esse equidem puto. Schemata enim distichi Graecorum elegiaci (ut ex prima, secunda, tertia serie tabulae, quam proposuit Hultgrenus l. adl. I, p. 6, medium, quem dicunt, numerum ipse erui atque constitui) hoc ordine gradatim minuente disposita inveni [1]:

Iª	forma	*dsdd*	(fere 17,73 %),	quae est	VIIIª	apud Rom.
IIª	»	*sddd*	(» 16,47 %)	»	XVIª	»
IIIª	»	*dddd*	(» 15,13 %)	»	XIIIª	» [2]
IVª	»	*ssdd*	(» 11,07 %)	»	XVª	»
Vª	»	*sdds*	(» 6,60 %)	»	IXª	»
VIª	»	*dsds*	(» 5,46 %)	»	IIIª	»
VIIª	»	*ddsd*	(» 5,01 %)	»	VIª	»

---

[1]) Possunt etiam in contentionis iudicium vocari numeri, quos in metro heroo ex centenis versibus prioribus Iliados et Aeneidos contulit ZAMBALDIUS, *Metrica* cett. p. 239.

[2]) A poetis, qui ante Theognidem floruerunt, LANGENUS l. adl. p. 10 demonstravit maxime frequentatum esse versum e meris dactylis compositum et eum cuius primus pes spondeum praeberet; deinde qui in secundo pede et qui in primo ac secundo pro duabus syllabis brevibus syllabam longam haberent (*dddd, sddd, dsdd, ssdd*): quae cum numeris HULTGRENI (p. 6, tab. I col. II) omnino congruunt.

VIII^a	forma	*ddds*	(fere 4,97 %),	quae est	VII^a	apud Rom.
IX^a	»	*dssd*	(» 4,92 %)	»	IV^a	»
X^a	»	*ssds*	(» 3,80 %)	»	X^a	»
XI^a	»	*sdsd*	(» 3,13 %)	»	XI^a	»
XII^a	»	*sssd*	(» 2,63 %)	»	XIV^a	»
XIII^a	»	*ddss*	(» 1,42 %)	»	II^a	»
XIV^a	»	*dsss*	(» 0,77 %)	»	I^a	»
XV^a	»	*sdss*	(» 0,47 %)	»	V^a	»
XVI^a	»	*ssss*	(» 0,32 %)	»	XII^a	»

Unde id universe statui posse videtur, quae formae hexametri elegiaci longe saepissime apud Graecorum poetas elegiacos leguntur, has perraro inveniri apud Romanos, et rursus formas omnium creberrimas apud hos rarissimas esse apud illos. Satis sit, speciem hexametri *sddd*, quae secundum obtinet locum apud Graecos, ultimum apud Romanos, cum specie *dsss*, quae primum sibi vindicat locum in Romanorum elegis, fere postrema (XIV) est in Graecorum, conferre. Atque has ideo potissimum delegi quod ex hisce cum Graecorum linguam dactylis, Romanorum spondeis maxime abundare eluceat, tum id quoque apparet, quod ante admonui, minimum poetarum Graecorum, plurimum contra Romanorum referre, utrum distichon a dactylo incipiant necne: quod a pedum dactylicorum linguae Graecae ubertate, Latinae inopia repetendum esse dixi, cum Graecorum, quorum lingua per semetipsam satis esset dactylica, minus interesset quam Romanorum, quorum sermo plurimis spondeis redundaret, ut dactylo in prima sede collocato dactylicum tamquam colorem toti versui aspergerent. Cuius rei id etiam satis magnum est argumentum, quod versus hexameter in prioribus quattuor sedibus omni-

no spondiacus (etiam causis, quae dicuntur, rhetoricis remotis) minime saepe (forma est enim XVI[a]), totus autem dactylicus saepissime (forma est enim III[a]) invenitur in poetarum Graecorum elegiis, cum apud Romanos utrumque versus genus perquam raro legatur: prior enim forma locum tenet duodecimum, altera vero tertium decimum. Quod denique ex hisce quoque numeris liquet: cum enim apud Graecos universi versuum hexametrorum a dactylis et a spondeis incipientium numeri hanc fere praebeant rationem: — init. dact. 55,44 %: init. spond. 44,56 % —, apud Romanos (Propertio etiam coniuncto, quem adeo spondeis uti atque abuti et initiis spondiacis tam saepe favere vidimus) multo plus quam duplo hexametri a dactylis incipientes superant hexametros eos qui a spondeis initium capiunt: sunt enim hexametri a dactylis exordientes 2765, a spondeis vero 1158; quorum numerorum ratio fere est 239:100, hoc est, in versibus 3923 initia hexametrorum dactylica fere sunt 70,48 %, spondiaca 29,52 % [1]). Etiam formam, in quam frequentissime incidimus apud Romanos, formam dico *ddss*, quae post primam omnium est creberrima, admodum raro invenimus apud Graecos, utpote quae in tertium deci-

---

[1]) Hac quoque in re Romanos Alexandrinorum poetarum exemplum magis quam superiorum secutos esse constat, quod cum et apud Theognidem et apud poetas eos, quos Hultgrenus appellat ante-theognideos et post-theognideos, summae dactylorum et spondeorum non multum differant apud singularum aetatum scriptores (dactyli enim tribus his numeris indicantur 65,50 %, 67,20 %, 66,90 %, spondei his 34,50 %, 32,80 %, 33,10 %), initia contra dactylica apud Theognidem et poetas ante-theognideos numeris 53,30 % et 51,30 % (spondiaca numeris 46,70 % et 48,70 %), apud poetas post-theognideos numero 61,70 % (spondiaca numero 38,30 %) denotantur.

mum veniat ordinem. Figuras autem *ssds* et *sdsd* pari ratione usurpari a poetis et Graecis et Romanis, ex tabella proposita patet, quippe quae apud utriusque populi poetas locum decimum et decimum primum obtineant.

Sed transeamus ad pentametrum. Ex quattuor formis, quae sunt *dd*, *ss*, *ds*, *sd*, principatum tenet forma *ds*, cuius est numerus medius fere 53,27% (atque proprie apud Tibullum 59,70%, apud Propertium 48,64%, apud Ovidium 51,47% [1]). Deinde hoc ordine subsequuntur reliquae:

II. *dd* – n. med.: 23,07% (= T. 20,20%; P. 22,62%; O. 26,40%)
III. *ss* » 12,69% (= » 10,65%; » 13,92%; » 11,82%)
IV. *sd* » 10,97% (= » 7,35%; » 14,80%; » 10,77%).

Ex qua tabula hoc primum colligitur, in variis pentametrorum formis utendis non multum inter se differre Romanorum poetas, nisi quod, quae facilis erat coniectura, formae a spondeis incipientes apud Propertium numero paullo superant eiusdem generis formas apud Tibullum et Ovidium. Natura autem dactylica strophae elegiacae vel maxime a pentametro elucet: namque pentameter non solum in altera parte semper dactylicus est, sed etiam pentametri a dactylis incipientes plus quam triplo (quae universa ratio maior est ratione hexametrorum [2]) penta-

---

[1]) Formam pentametri *ds* omnium creberrimam reperiri, facile ideo etiam suspicari possumus, quod, cum pentametrum in extremo hemistichio duobus locis dactylicum esse necesse esset, idemque plerumque secundum illam, quam diximus, elegantiae legem a dactylo initium caperet, oportebat, hunc versum gratae varietatis causa assequendae uno certe loco, i. e. secundo, pedem spondiacum multo saepius recipere.

[2]) Universi enim hexametri a dactylis ordientes sunt 2765, a spon-

metros superant a spondeis exordientes; sunt enim pentametri, quorum in capitibus dactyli sunt, 2951 (formae *ds* et *dd*), quorum autem in capitibus spondei, 972 (formae *sd* et *ss*): ut horum numerorum ratio fere sit 304 : 100; hoc est, in versibus pentametris 3923 initia sunt dactylica fere 75,23 %, spondiaca fere 24,77 % [1].

Quod si hos numeros cum Graecorum pentametri schematis comparamus (cfr. Hultgr. l. adl. p. 11, tab. IV), illud docemur, primam formam esse, ut apud Romanos, *ds* (cuius ratio fere est 33,18 %), secundam autem, tertiam, quartam (quibus multum distant Graeci a Romanis), *ss* (=25,04 %), *sd* (=21,14 %), *dd* (20,64 %): adeo ut forma omnino dactylica ultimum teneat locum in pentametris Graecorum [2].

Sed duabus maxime causis, quae ad pentametrorum clausulas pertinent, Ovidius ceteris, praecipue vero Pro-

---

deis autem 1158. Haec ratio, quam modo in pentametris exposuimus, ideo efficitur quod, ut supra vidimus, apud Propertium multo plura sunt pentametrorum initia dactylica quam hexametrorum: quae contra fere paria pro rata parte sunt apud Tibullum et Ovidium.

[1]) Communem fere optimi cuiusque poetae hanc esse legem, ne uterque eiusdem distichi versus initium sumat a spondeis, docet Eichnerus l. adl. *De poett.* cett. pagg. 11. 18, aliis locis.

[2]) Ratio universa pentametrorum, qui in prioribus sedibus dactylos habent (*ds* et *dd*), est apud Graecos fere 53,82 %, alterorum (*sd, ss*), fere 46,18 %: quae rationes longe aliae sunt atque Romanorum. Sed in pentametro quoque, ut in hexametro iam vidimus, non parvum interest discrimen inter poetas ante-theognideos Theognidemque et eos qui post Theognidem floruerunt: nam cum apud poetas post-theognideos ratio formae *ds* (quam Romani reliquis formis multo praetulerunt) sit fere 41,30 %, apud ceteros est fere 29,10 %: et rursus (omissa forma *dd*, cuius ratio fere par est apud cuiusque aetatis poetas) cum formarum *sd* et *ss*, hoc est, pentametrorum a spondeis incipientium, ratio sit apud poetas post-theognideos fere 19,35 %, apud ceteros est 24,97 %.

pertio, praestare videtur: quas ipsas ob causas, praeter alias, factum est, ut distichon Ovidianum tamquam in exemplum omni ex parte in suo genere perfectum cum ad cetera tum ad pentametros concludendos assumeretur: quae in clausula pentametri bisyllaba [1] et in extremo pede aut consonanti littera terminato aut in vocalem longam excidenti positae sunt.

Primum, quod ad pentametrorum exitus attinet, Ovidius numquam in Amorum libris (quos proprie examinandos suscepi) voce plus quam bisyllaba pentametrum clausit, nisi quod nimirum encliticum *est* excipitur verbo praeeunte in vocalem desinenti [2]: quod sane non solum in extremo hemistichio posteriore, sed etiam in extremo priore nihil offensionis habere putabatur, ut supra monui,

---

[1]) Hanc metri subtilitatem atque elegantiam, de qua pauca supra disputavi, animo non percepisse miror Meyerum l. adl. *Zur Geschichte* cett. p. 1025, qui adeo id stultum («thöricht») sibi videri dicit; cfr. p. 1085.

[2]) In universis quoque reliquorum carminum Ovidii pentametris perquam raro clausulam invenias, quae duabus syllabis maior aut minor sit: *bis* enim hanc tamquam legem violatam esse reperias in carminibus iis, quae ab Ovidio etiamtum et aetate et fortuna et ingenii viribus florente composita sunt, idque in iis Epistulis, quae non ab omnibus germanae habentur, paullo saepius in reliquis carminibus (bis in Fastis, quinquies in Tristibus, vicies in Epistulis ex P., bis in Ibide; cfr. Hultgren. l. adl. *Observationes* cett. I, p. 30 seq.), in iis scilicet carminibus, quae Naso aut per exsilium ad finem perducere ac limare politius non potuit, aut eo tempore composuit, cum et aetate provectior et duriore fortuna conflictatus, ingenii vi tamquam fracta, minus operae curaeque in formam ipsam carminis expoliendam impendebat. Sed in his quoque elegiis (in quibus etiam clausula trisyllaba, omnium pessima, ter duntaxat legitur) quanti id est faciendum in tot millibus pentametrorum? Etiam in carminibus, quae Ovidius in exsilio confecit, multo saepius quam in eius primitiis, clausulis hexametrorum monosyllabis offendi legentem, docent Hultgreni tabulae XVI et XVII, p. 27 (*Observationes* cett. I); cfr. p. 25: sed cum alterum monosyllabum ante sit, eiusmodi clausularum gravitas minuitur ac paene tollitur.

cum encliticum *est* (*es*) in unum tamquam corpus cum voce superiore coalescere videretur. Sed aliter res se habet, cum apud Tibullum tum maxime apud Propertium, in quo tamen id est considerandum, hunc, quo maturior eius ars versuum condendorum fit, eo minus clausulis, quae non sint bisyllabae, uti. Namque clausulas trisyllabas apud Tibullum repperi t r e s e t v i g i n t i, quadrisyllabas q u i n d e c i m, pentasyllabas d u a s [1]: hoc est, in pentametris 691 clausularum tris. in centenis versibus ratio fere est 3,33 %, quadris. 2,17 %, pentas. 0,29 %: ita ut reliquae clausulae, quae ad unam omnes bisyllabae sunt, hanc fere praebeant rationem: 94,21 %. Apud vero Propertium hi sunt numeri: Clausulae tris. sunt q u a d r a g i n t a o c t o, quadris. c e n t u m u n d e q u i n q u a g i n t a, pentas. d u o d e v i g i n t i, hexas. u n a, monos. q u i n q u e [2]: quarum

---

[1]) Locos singulos indicabo: *Claus. tris.*: I, 1,72; 3,32; 5,62; 72; 6,34; 7,16; 36; 9,4; 10,14; 66; II, 1,8; 60; 66; 3,40; 4,48; 5,16; 40; 68; 6,20; 32; 34; IV, 2,18; 13,22. *Claus. quadris.*: I, 1,38; 2,54; 84; 3,58; 82; 4,62; 5,32; 36; II, 1,18; 36; 4,44; 5,44; 64; 80; 92. *Claus. pentas.*: I, 2,42; 4,84.

[2]) Loci singuli hi sunt: *Claus. tris.*: I, 1,4; 2,10; 22; 3,8; 10; 24; 34; 36; 6,16; 20; 22; 7,6; 10,2; 12,16; 13,16; 14,2; 16; 15,16; 36; 16,6; 18; 30; 32; 34; 42; 44; 18,16; 24; 20,2; 44; 21,6; II, 3,12; III, 5,24; 7,14; 11,16; 12,24; 13,6; 8; 15,16; 17,4; 20,20; 27,18; 26; 40; 31,40; 32,88; IV, 12,30; V, 2,38. *Claus. quadris.*: I, 1,6; 10; 14; 24; 26; 2,4; 8; 18; 32; 3,2; 4; 6; 18; 20; 22; 28; 32; 38; 4,4; 6; 28; 5,6; 6,4; 14; 26; 34; 7,2; 4; 8,2; 10; 20; 40; 46; 9,30; 10,12; 11,2; 4; 8; 14; 24; 28; 12,4; 18; 14,6; 8; 12; 22; 24; 15,2; 6; 10; 14; 18; 24; 28; 38; 40; 42; 16,4; 10; 12; 14; 16; 26; 28; 36; 46; 48; 17,2; 18; 28; 18,6; 22; 19,4; 20,4; 10; 12; 16; 30; 34; 36; 40; 21,2; 4; 22,4; 10; II, 1,14; 16; 40; 50; 58; 60; 2,14; 3,44; 5,2; 24; 6,16; 18; 32; 7,10; 9,30; III, 1,16; 5,8; 48; 6,4; 7,28; 8,10; 38; 44; 10, 14; 12,8; 28; 13,2; 30; 36; 21,10; 16; 24, 20; 26,6; 28,36; 40; 29,10; 14; 30,4; 12; 62; 31,4; 32,12; 32; 58; 64; 66; 70; 74; 80; 90; IV, 2,28; 3,10; 11,30; 12,24; 13,2; 8; 18,10; 20,28; 22,20; V, 1,64; 2,34; 4,76; 5,8. *Claus. pentas.*: I, 1,2; 2,24; 5,24; 15,22; 16,2; 20,32; 38; 42; 22,2; II, 1,38; 6,4; 7,18; III, 8,14; 27,38; 32,68; 76; IV, 23,20; V, 5,28. *Claus. hexas.*: IV,

clausularum, cum sint pentametri apud Propertium 2005, hae rationes in centenis versibus efficiuntur: Claus. tris. 2,39% [1], quadris. 7,42%, pentas. 0,90%, hexas. 0,05%, monos. 0,25%: adeo ut universa clausularum bisyll. ratio fere sit 88,99%: quae ratio, ut plane constat, aliquantum distat a Tibulli. Sed magna est discrepantia inter priorum Propertii librorum elegias et posteriorum [2], ut penitus perspiciatur (id quod modo animadverti), quo maiores Propertius in disticha ac verius pentametros condendi arte progressus faciebat, hunc eo magis a clausulis, quae non essent bisyllabae, abhorruisse; eundemque inter Tibullum et Ovidium aetate quasi interiectum in prioribus libris (quod ad clausulam pentametri bisyllabam spectat) a Tibullo, in posterioribus ab Ovidio pendere recte dixeris. Nam cum priores tres libri versus pentametros contineant 1034, posteriores duo versus pent. 971, clausularum rationes quam differant inter se, ex

---

6,22 (= *Athamantiadae* =). *Claus. monos.*: I, 2,26; II, 6,40; III, 1,6; V, 1,146; 9,36: (ut supra monui, his locis clausulam monosyllabam statuo, cum particula *est* non elidatur; quod contra fit apud Tibullum et Ovidium).

[1]) Inde patet, non vera scripsisse GRUPPIUS l. adl. p. 363: « Die strenge Meidung des dreisilbigen Ausganges ist eine wesentliche Verfeinerung, welche Properz gehört»: namque Tibullum ante Propertium, quamquam ille quidem clausulis trisyllabis paullo saepius pro rata parte quam Propertius utitur (— discrimen inter utrumque est 0,94%), huic metri elegantiae, quam postea Ovidius sedulo consectatus est ac paene tamquam legitimam sanxit, studuisse, satis mihi numeris demonstrasse videor.

[2]) De Propertii versuum arte et de discrimine quod inter priores libros et posteriores intercedit, diligentissime quaesiverunt BERN. ESCHENBURGIUS. *Observ. crit. in Prop.* Bonn, 1865, p. 1 seqq. et CHR. LUETJOHANNES. *Commentat. Prop.* Kiliae, 1869, p. 96 seqq. Cfr. etiam Luc. MUELL. in Prop. edit. p. XLVII.

subiecta tabella perspicue apparebit:

		L. I. II. III.		L. IV. V.	
Claus.	monos.	3	(ratio: 0,29 %)	2	(ratio: 0,20 %)
»	tris.	46	(» 1,45 %)	2	(» 0,20 %)
»	quadris.	136	(» 13,15 %)	13	(» 1,34 %)
»	pentas.	16	(» 1,55 %)	2	(» 0,20 %)
»	hexas.	0	(» 0,00 %)	1	(» 0,10 %)
		Summa	19,44 %	Summa	2,04 %).

Ita efficitur, ut clausulae bisyllabae in tribus prioribus libris hanc fere exhibeant rationem: 80,56 %, in duobus autem posterioribus hanc: 97,96 %; quibus in libris Propertius quam prope hac in re ad Ovidium accedat (sic ut Tibullum ipsum superet), quis non videt? Sed alia in Propertii pentametris, quod ad horum clausulas pertinet, animadvertenda sunt. Is enim, quo erat maiore ac pleniore spiritu quam Tibullus, vocabulis, ut ita dicam, sesquipedalibus (quae distichorum naturae idque maxime in extremis partibus mirum quantum repugnant et imitationem Alexandrinorum produnt ac testantur apud Propertium) multo saepius utitur atque adeo abutitur; nam, exceptis clausulis trisyllabis (quae pro rata parte plures sunt apud Tibullum quam apud Propertium), exitus vel quattuor vel quinque syllabarum iusto crebrius apud eum inveniuntur [1]. Sed hic quoque maximum discrimen est notandum inter priores tres libros et duo posteriores. Nam cum in illis clausulae trium, quattuor, quinque syllabarum sint universae 198 (h. e. in centenis versibus fere

[1]) Clausulam hexasyllabam unam repperi in Propertii elegiis, eandemque in nomine proprio atque eo peregrino. Cfr. adnot. super., p. 140.

19,15 %), in his sunt 17 (h. e. in centesimo quoque versu fere 1,76 %). Exceptis autem clausulis bisyllabis (quae, ut in poeta optimo facile intellegitur, primum sibi locum vindicare debuerunt), Propertium exitus pentametrorum quadrisyllabos praetulisse liquet; quorum tamen cum numerus sit 136 in prioribus tribus libris, non plures quam 13 invenias in duobus posterioribus, ita ut priores et posteriores libri hac in re inter se collati hanc fere rationem in centenis versibus exhibeant: 13,15 %: 1,34 %.

Etiam hoc non est omittendum, in pentametrorum clausulis trium, quattuor, quinque syllabarum (quae universae sunt 215), non plures quam quinquaginta tres nominum propriorum excusationem habere apud Sextum.

Postremo discrimen inter primitias tamquam musae Propertianae et maturioris artis fructus eo etiam luculentius apparet ex primi libri et ultimi (ut extrema in contentionis iudicium vocemus) comparatione. In primo enim libro, qui constat ex distichis 353, clausulae trisyllabae sunt 31, quadrisyllabae 86, pentasyllabae 9, in quinto contra, cuius etiam distichorum numerus maior est (i. e. 476), clausulae tris. non plures sunt quam 1, quadris. quam 4, pentas. quam 1 [1].

Quod vero nunc spectat ad novissimam syllabam brevem in altero pentametri hemistichio littera consonanti

---

[1]) Apuleius, ut erat Frontonianus, poetarum novorum eorumque optimorum qui Augusti aetate floruerunt, elegantia et subtilitate contempta, etiam in pentametrorum clausulis antiquarius et esse et videri voluit; nam clausulas bisyllabas adeo aspernatus est, ut in carminibus in Apol. 9 et Met. IV, 33 adlatis, uno versu excepto, pentametri ad unum omnes voce aut trisyllaba aut quadrisyllaba finiantur (*Fragm. poett. Latt.* cett. ed. BAEHRENS, p. 377 seq.).

non conclusam, non admodum vera docet Christius cum haec prorsus simpliciterque adfirmet: «Doch vermied Ovid mit richtigem Gefühl auch an dieser Stelle (der Schlussylbe des 2ten Kolon) einen kurzen Schlussvocal, da e. q. s.» (*Metrik* cett. p. 208). Id enim Ovidium, mirae elegantiae scriptorem, sedulo curasse adsentior, [1] sed non eundem semper sic egisse eandemque constantiam servasse, ex his locis, quos ex Amorum libris collegi, apparet: I, 3,22 *ave*; 6,26 *aqua;* 7,32 *ego;* 58 *aqua;* 8,62 *dare;* 10,4 *ave;* 14,50 *mea;* II, 1,26 *aqua;* 9,8 *ope*; 52 *gere*; 17,2 *ego*; 20 *pede*; 19,12 *pede*; 48 *mea*; III, 6,44 *aqua;* 50 *pede;* 7,8 *nive*; 56 *ope;* 10,20 *Iove;* 15,8 *ego*. Verum hoc non fit, ut liquet, nisi perraro (*vicies* in pentametris 1227), idque in vocabulis bi-

---

[1]) Huius artificii, quo universi Latinorum elegorum scriptores principes fere semper usi sunt, causam exposui supra (p. 91; cfr. ib. adn. 3). Qua ex re quoque, praeter alia, nisi me omnia fallunt, efficitur, pentametrum nihil aliud esse quam hexametrum bis catalecticum *in syllabam* et ex heroi semiquinaria bis posita exstitisse: nam cum pedem tertium catalecticum ex syllaba longa constare necesse sit, sextum quoque pedem (qui itidem catalecticus in extremo hemistichio posteriore pedi tertio prioris hemistichii quasi respondet) in syllabam longam (aut sua natura aut quae, ut in consonantem in extrema versus sede excidens, pro longa facile haberetur) desinere oportebat, ut hanc syllabam pedis integri tamquam vicariam habere liceret; nam syllabam brevem vocali terminatam (quamquam ex universa numerorum lege quin id fieret in ultima versus parte nihil obstabat) integri pedis, qui etiam, ut dactylus, trium esset syllabarum, locum explere minime placebat. Conferantur etiam quae de clausula oratoria docet Quintilianus IX, 4,93.94. 116; recte autem dixit Cicero superbissimum aurium iudicium (Orat. XLIV, 150). Hanc metri elegantiam sprevisse aut non sensisse poetae Graecorum elegiaci videntur; cfr. Langen l. adl. p. 15 et 20 seq. Etiam Hermannus l. adl. *Elementa* cett. p. 359 recte docet, si vocali, quae brevis sit, vocabulum terminetur, insolentem et duram esse extremi huius semipedis accentu notati pronuntiationem, quia aures brevem eiusmodi syllabam accipere suetae sint. Praeterea cfr. Fiedler. l. adl. pag. 59.

syllabis, cum contra aliquanto saepius atque non solum in voce bisyllaba, sed, quod est aegrius ferendum, in verbis et trisyllabis et quadrisyllabis et pentasyllabis apud Tibullum et Propertium eius generis clausulae reperiantur. Namque apud Tibullum haec clausula in voce bisyllaba invenitur undevicies, apud Propertium ter et septuagies, in voce trisyllaba apud Tibullum sexies, apud Propertium item sexies, in voce quadrisyllaba numquam apud Tibullum, sexies apud Propertium, in voce pentasyllaba semel apud Tibullum (I, 4,84 *magisteria*), semel apud Propertium (I, 2,24 *pudicitia*). Sed hac quoque in re in Propertii elegiis id animadvertendum est, in duobus libris posterioribus subtilius distichorum concludendi artificium perspici quam in tribus prioribus, cum in illis numquam vocabulis vel trisyllabis vel tetrasyllabis in vocales breves desinentibus pentametri terminentur.

VII.

Venio nunc ad rem, qua poetae Romanorum elegiaci in versibus faciendis summam sibi laudem pepererunt et Graecos sive auctores sive magistros longe superarunt. Spectat enim nunc sermo meus ad artificium illud eximium, quo elegiae Latinae tamquam triumviri usi sunt, ut vel vocabula ipsa inter se nexa et respondentia convenienter collocarent, vel hexametros cum pentametris affabre conecterent vel denique disticha cum distichis convenienter copulantes ad unitatis rationem referrent.

Atque primum loquar de vocabulis ipsis ac proprie de arte qua nomina substantiva, quae dicuntur a gram-

maticis, cum eorum appositis vel adiectivis in pentametris eleganter consociarunt.

Hunc locum primus, quod sciam, perstrinxit Car. Heinr. Guil. Wackernagelius in *Zur Geschichte des deutsch. Hexam. und Pentam.* Berlin, 1831, p. XII (cfr. eius *edit. opp. min.* II, 2–9) et subtilius Gruppius tractavit l. adl. p. 18 seqq.: quos tamen, nisi me fallit animus, id fefellit, quod ex copulatione adiectivi in extremo pentametri hemistichio priore et substantivi in extremo hemistichio posteriore positi concentum quendam homoeoteleuti oriri contenderunt; quam rem cum alio loco, ut ipse quidem homoeoteleuton tunc intellexi hodieque intellego, falsam aut certe non ex omni parte veram demonstrare studuerim [1], nunc mitto, ne cramben, ut aiunt, recoquere dicar. Illud autem adfirmo, ex poetis Romanorum elegiacis eos, qui in distichis conformandis severiores iidemque elegantiores exstiterunt, hanc tamquam legem sibi posuisse, ut cum et appellatio et attributio essent vel, ut propriis iisque usitatio-

[1]) *Dell' Omeoteleuto latino.* Padova, 1891, p. 8; cfr. p. 24 seqq. et p. 29 seq. Qua in re nemo, puto, tam longe processit quam Eichnerus l. adl. p. 3 seq., qui in distichis non solum I (partem heroici priorem usque ad caesuram primariam) cum II (heroici parte altera), sed etiam I cum III (priore pentametri ordine) et cum IV (altero pentametri ordine), II cum III et cum IV, III cum IV homoeoteleuti concentu iungi contendit (cfr. p. 77 seqq.). Sed hae sunt nugae merae. Separatim de pentametris similiter consonantibus, ut ille quidem vult, disseruit Hultgrenus, *Observ.* cett. II, p. 14 seqq., qui tamen quoque rem in maius mea sententia extollit tum praecipue, cum et ipse in disticho quosdam hexametri et pentametri ordines verborum similiter conclusorum vel eodem pacto cadentium vinculo ligari animadvertit, *ib.* p. 18 seq. Quanto verius de verbis similiter desinentibus iudicat is qui in primis hanc rem in hexametris atque iis plerumque distichorum observari iussit, Carolus Lachmannus, ad Prop. I, 18 [17], 5, p. 72 seq. (Lips. 1816)!

ribus grammaticorum verbis rectius utar, substantivum cum suo adiectivo in pentametro coniungeretur, haec inter se ita plerumque conecterentur, ut extremam prioris hemistichii partem adiectivum, posterioris substantivum occuparet [1]. Quod quam sit venustum atque elegans, cuique perspicuum est, cum praeterquam quod exitus prioris hemistichii cum posterioris apte congruit totusque versus naturali quadam eademque concinna ratione concluditur expleturque, hoc quoque efficitur, ut, quod optime animadvertit Gruppius l. adl. p. 20, cum adiectivum in extremo hemistichio priore

---

[1]) Hanc eandem fere substantivorum adiectivorumque collocationem in versu quoque Asclepiadeo minore reperiri demonstravit, praeter alios, (ut NAEKIUS, qui haec omnia ad homoeoteleuton referre vult, in *Rhein. Mus.* T. III, p. 390), AUG. MEINEKIUS, ad Hor. Carm. IV, 1, 16, praef. p. XIX-XX; cfr. p. 76 extr. (Berl. 1854; cfr. eius *Callim. Cyr. Hymn. et Epigr.* Berl. 1861, p. 265): qui tamen in hoc mea quidem sententia nimius esse videtur. quod ibi, libris omnibus manu scriptis refragantibus, Horatium sic scripsisse suspicatur: «Late *militiae* signa feret *tuae*», cum, ut ait ipse, «in hoc metri genere adiectivum et substantivum sic ponantur, ut finem utriusque ordinis occupent», vel etiam sic: «Late signa *tuae militiae* feret», quod hoc quoque fieri soleat, «ut prior ordo in adiectivo desinat, alter a substantivo ordiatur». Audio: sed hoc (neque id solum in metro choriambico, verum etiam in dactylico) p l e r u m q u e, non s e m p e r fieri concedo, ac tales verborum traiectiones, ut «...quod prius ordine verbum est posterius facias, praeponens ultima primis», nullo alio firmiore argumento accedente, ferri licere omnino nego. Num enim dixeris (ut ex sescentis exemplis unum adferam in versu pentametro), Propertii versum: «Tu *nullo miseri* contegis ossa solo», I, 22, 8, sic esse legendum: «Tu *miseri nullo* contegis ossa solo», quod et concinnior exsistat verborum collocatio et etiam homoeoteleuti concentus, ut volunt, audiatur (contra fit I, 10,8: «*Et mediis caelo* Luna puberet equis), idque eo magis quod initium versus statuatur dactylicum pro spondiaco? Equidem non audio. Contra iniuria verbis traiciendis sic corrigere, vel dicam corrumpere, voluisse in versu Asclep. min. PEERLKAMPIUM MEINEKIO adsentior: *Ipsum me peteret cum melior Venus* pro eo quod re vera est *Ipsum me melior cum peteret Venus* (Horat. Carm. I, 33,13).

positum per se ad orationis sententiam explicandam nondum valeat, haec in altero hemistichio, ubi plerumque et verbum est et in exitu substantivum, commode suppleatur totaque enuntietur; adeo ut animi legentium usque ad finem exspectatione erecti in ultima tandem versus parte omnino acquiescant: sic enim una versus pars cum altera tamquam implicata est, ut illa nodum quasi nectat, haec expediat.

Sed huius generis artificiosam verborum dispositionem (cui antiquiores Graecorum poetas elegiacos non valde studuisse, docet Langen. l. adl. p. 33) tum maxime admiramur, cum non unum, sed geminum est substantivorum adiectivorumque par. Qua in re videbimus, rarissimam in poetarum elegiacorum pentametris eam huius collocationis figuram reperiri, ut utrumque substantivum praecedat, utrumque adiectivum subsequatur, cum frequentissima sit species contraria, in qua ambo adiectiva ambobus substantivis excipiuntur. Neque id sane dubiam ob causam: nam cum, si totius sententiae ratio ducatur, plus insit plerumque nervorum ac ponderis in substantivis quam in eorum appositis, non id profecto legitimum aut certe praeclarae artis videbatur, pentametros sic conformare, ut priores versus partes gravibus et ad sententiam idoneis necessariisque nominibus efferrentur, posteriores vero nihil praeter inania epitheta et «sine pondere et arte» ornantia continerent, quibus adeo onerari potius quam ornari oratio videretur. [1]

---

[1]) Pretium est operae verba Wackernagelii (l. adl. p. XII) ad hunc locum pertinentia proferre: «Es soll in der ersten Hälfte (sc. pentametri) noch nichts für die Vollendung des Sinnes geschehen: die erste Hälfte beginnt, die zweite vollendet, die erste schürzt, die zweite löst». Quae eadem pluribus atque aliis ille quidem verbis usus scripsit paullo

Cum enim nil sit tam furiosum quam, ut universe scripsit Cicero, De Or. I, 12,51, verborum sonitus inanis nulla subiecta sententia nec scientia, respuantque aures teretes et elegantes versus « inopes rerum nugasque canoras », in quibus, ut fere ait Horatius, vis nec verbis nec rebus insit, id sane, ut cuique est in promptu, minus ferendum videtur cum in quovis versuum genere, tum praecipue in extremis partibus pentametrorum, quibus plerumque et oratio finitur et sententia: nam in horum maxime versuum sedibus postremis sententiam non debilitari aut languescere, sed eius vim acui atque augeri oportet: adeo ut scite pronuntiasse Luc. Muellerus videatur (*d. r. m.* p. 241), adiectiva substantivis suis postposita « nulli iam rei nisi explendo metro visum iri utilia ».

Quam rem ut numeris confirmem, quos quam potui accuratissime ex trium poetarum elegiacorum principum carminibus, quae supra indicavi, ipse collegi [1], primum sub-

---

postea Gruppius l. adl. p. 20: « Die Folge davon ist, dass die erste Hälfte ....an sich noch keinen Sinn giebt, sondern dass sie diesen erst durch die zweite Hälfte bekommt, zu welcher sie also fortdrängt. So erhält der Vers sein höchstes Interesse und seine grösste Anmuth.... Jetzt aber spannt die erste Hälfte auf die zweite, die erste legt ein Räthsel vor, die zweite löst es». Cfr. p. 364: «... so soll die erste Hälfte einen Knoten schürzen, die andere ihn lösen, die erste spannen, die zweite befriedigen und abschliessen». Perperam autem atque immerito accusat Gruppium Gebhardius (*De Tib. Prop. Ov. dist. quaest. eleg. specim.* Regim. 1870, p. 13), quod cum prorsus fugerit is substantivorum adiectivorumque nexus artificiosus, quo unum par (subst. et adiect.) altero contineatur: nam exemplum a Gruppio adlatum (p. 21) *Hic viridem dura caedere falce comam* (Tib. I, 7, 34) hanc criminationem diluit et falsam esse docet.

[1]) De hac substantivorum adiectivorumque artificiosa collocatione apud Catullum in hexametris versibus atque in pentametris disputavit Rich. Fisch. *De Cat. in vocab. colloc. arte quaest. sel.* Berol. 1875, p. 10 seqq. (de

stantivorum adiectivorumque paria simplicia, deinde paria duplicia in eorum distichorum pentametris percensebo atque examinabo. Quam rem ut planius indicem oculisque ipsis subiciam fidelibus, littera *S* ad substantivum, littera *A* ad adiectivum in conexione simplici significandum utar; in copulatione autem duplici litterae *S* et *A* substantivum et adiectivum paris primarii (hoc par primarium intellego, quod et ad sententiam et ad grammaticam maioris est ponderis, ut est casus nominandi [vel subiectum] ad casum accusandi [vel obiectum] comparatus, et eiusdem generis alia), litterae *S'* et *A'* substantivum et adiectivum paris secundarii indicabunt. [1].

versibus hexametris heroicis) et p. 45 seqq. (de versibus hexametris elegiacis: hoc enim nomine intellegit pentametros; de qua re cfr. quod a me antea, p. 13 seq., dictum est): in Catulli vero pentametris id recte monet Gebhardius l. adl. *De Tib.* cett. p. 23 adn. 18 (— Gebhardium auctorem ad verbum transcribit neque nominat Fischius l. nuper adl. p. 45), nexum illum artificiosum substantivorum et attributorum arte demum corroborata lepide et eleganter adhibitum esse non ante Tibullum: Catullum enim varia tentasse, sed perraro et sine ratione.

[1]) Substantivorum numero etiam pronomina comprehendi, quae eorum vicibus fungerentur, vel adiectiva, quibus substantivorum vis inesset. Contra in adiectivorum numerum rettuli etiam omnia verba (pronomina, participia, substantiva mobilia cett.), quibus vis adiectivorum esset subiecta. Praeterea id commonefacio, me in copulatione simplici eorum tantum locorum rationem habuisse, in quibus adiectivum et substantivum (vel substantivum et adiectivum) extremam quamque sedem in utroque pentametri hemistichio occuparent (iis locis non exceptis, in quibus inter verbum encliticum *es* vel *est* et adiectivi vel substantivi syllabam postremam elisio fieret). In gemina autem copulatione omnes eos locos exclusi, in quibus alterius utrius paris adiectivo non vis *attributiva* (liceat mihi breviloquentiae ac perspicuitatis causa recentioribus his grammaticorum verbis uti), sed *praedicativa* inesset, ut apud Propertium (III, 3, 12) *Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit*, vel in quibus utrumque substantivorum adiectivorumque par eodem tenore atque ordine progrederetur nec alterum alteri subiectum es-

Quod ad par simplex spectat [1], paucis verbis rem perficiam: Figura *AS* (quae adiectivum in extremo ordine priore, substantivum in extremo posteriore collocatum indicat) apud Tibullum reperitur d u c e n t i e s s e x a g i e s q u i n q u i e s (ut, cum pentametri sint 691, in centesimo quoque versu ratio sit ferme 38,35 %), apud Propertium s e p t i n g e n t i e s s e x a g i e s t e r (h. e. in pentametris 2005 fere 38,06 %), apud Ovidium t r e c e n t i e s b i s (h. e. in pentam. 1227 fere 24,61 %): itaque in universis horum trium elegiacorum poetarum pentametris numerus formae *A S* qui dicitur medius fere est 33,33 % [2].

Figura contra *SA*, qua in exitu prioris hemistichii substantivum, in posterioris adiectivum describitur, hisce numeris, qui insequuntur, indicatur apud singulos poetas:

Haec enim apud Tibullum invenitur v i c i e s t e r (= 3,33 %)
» Propertium » c e n t i e s q u a d r a g i e s s e x i e s (= 7,28 %)
» Ovidium » c e n t i e s q u a d r a g i e s s e m e l (= 11,48 %).

---

set, ut apud Ovidium (Am. III, 6,106) *Sint rapidi soles siccaque semper hiems.*

[1]) Ne forte error aliquis vel ambiguitas oriatur, sciendum est, me hoc loco eam dumtaxat verborum collocationem intellegere, qua u n i v e r s a subtantiva et adiectiva in extremis hemistichiorum locis inter se respondent: itaque non solum in pari simplici, sed etiam in alia qualibet id genus vocabulorum copulatione.

[2]) Atque proprie in singulis poetarum elegiacorum libris formae *AS* hi numeri sunt:

In Tibulli l.	I. = 155.	In Prop. l.	I. = 174	In Ovid. l.	I. = 102
»	II. = 84	»	II. = 48	»	II. = 82
»	IV. = 26	»	III. = 136	»	III. = 118
	Summa 265	»	IV. = 195		Summa 302
		»	V. = 210		
			Summa 763		

Ex quibus numeris numerus medius formae *S A* apud universos hic fere eruitur 7,36%. Commonendum autem est, hanc formam, quae poetis minime probabatur, tum tolerabiliorem videri cum (id quod longe creberrime fit apud eos praecipueque apud Ovidium) adiectivum aut possessivum est, quod et gravitate et apto syllabarum numero ac tempore pentametro concludendo mirum quantum conveniebat, aut, si non est possessivum, magna quadam vi praeditum plerumque apparet, ut in extrema versus parte positum sententiae pondus augere videatur [1].

Ex numeris autem quos attulimus perspicuum est constatque, formam *AS* rarius, formam autem *SA* saepius ab Ovidio quam a ceteris usurpatam esse: at contra si Propertii libros priores (I, II, III) seiunxerimus a posterioribus (IV, V) et separatim examinarimus, inde efficietur, Propertium hac quoque in re in prioribus magis ad Tibullum, in posterioribus magis ad Ovidium accessisse: nam cum inter priorum librorum pentametros 1034 forma *AS* inveniatur trecenties quinquagies octies, forma autem *SA* quadragies sexies, sequitur, ut illius figurae ratio in centenis versibus sit fere 34,62%, huius 1,45%; cum vero posteriorum librorum pentametri sint 971 atque in hisce

[1]) Huius formae in locis 23 apud Tibullum (= l. I: 16; l. II: 6; l. IV: 1) adiectivum possessivum non invenitur octies (I, 3,32; 58; 7,10; II, 3,70; 5,50; 90; 104; 114), in locis 146 apud Propertium (= l. I: 13; l. II: 4; l. III: 29; l. IV: 32; l. V: 68) adiectivum non est possessivum vicies sexies (I, 6,4; 16,4; 20,31; II, 1,12; 6,4; III, 5,24; 22,10; 24,12; 26,8; 29,4; 30,12; 31,4; IV, 6,22; 12,56; 22,14; 28; 23,10; V, 1,120; 2,2; 44; 4,68; 5,68; 7,76; 10,2; 14; 11,95). Denique in locis 141 apud Ovidium (= l. I: 33; l. II: 49; l. III: 59) adiectivum possessivum non usurpatur novies (I, 10,48; 13,22; II, 5,36; 6,36; 58; III, 7,26; 8,40; 9,66; 11,42).

forma *AS* reperiatur quadringenties quinquies, forma autem *SA* centies, sequitur, ut illius ratio sit fere 41,71 %, huius 10,30 %.

Sed harum formarum (*A S* et *S A*) numeri alia quoque docent: docent enim, quam inepta atque adeo falsa eorum sit opinio qui contendunt, poetas Romanorum elegiacos ideo plerumque in postrema utriusque hemistichii parte adiectiva et substantiva posuisse, ut homoeoteleutorum sonis sibi consonantibus utrumque hemistichium arctius conecterent. Ut cetera omittam, quae alias l. adl. de homoeoteleuto disputans contra hanc sententiam attuli, nunc tantum numeros adiciam, quibus satius ac magis perspicue eius sententiae perversitas demonstretur. Si enim ea sententia vera esset, necesse esset, ut aut omnia aut certe pleraque substantiva, quae eo, quem diximus, modo inter se respondent, concentus concordis et congruentis vinculo tenerentur; quam rem longe aliter se habere, numeri, inquam, ipsi indicabunt. Nam praeterquam quod per se apparet, necesse esse, ut homoeoteleuti concentus (ut illi volunt, ipse hanc potius appellaverim syllabarum extremarum fortuitam similitudinem, oculis magis quam auribus percipiendam) audiatur, eandem esse et substantivi et adiectivi in casus declinationem (ita ut hac in re consilium aliquod studiumve scriptoris frustra requiratur), in formarum *AS* et *SA* locis apud Tibullum 288 (i. e. *AS* 265 + *SA* 23) homoeoteleuton non invenitur nisi centies tricies bis (i. e. 117 + 15), apud Propertium in locis 909 (i. e. 763 + 146), quingenties quinquagies sexies (i. e. 440 + 116), apud Ovidium in locis 443 (i. e. 302 + 141), ducenties quinquagies sexies (i. e. 153 + 103). Igitur in universis eorum pentametris formarum *AS* et

SA, qui sunt 1640 (i. e. 1330 + 310), numerus homoeoteleutorum vel dicam homoeoptotorum est 914 (i. e. 132 + 556 + 256), ut multo plus quam tertia pars ac fere dimidia, etiamsi homoeoteleuton sic intellegamus ut illi intellegendum esse arbitrantur, soni similitudine minime notetur [1].

Iam vero transeamus ad nominum substantivorum adiectivorumque copulationem quam diximus par duplex. Patet, in pari duplici tribus modis bina substantiva cum singulis adiectivis coniungi posse: aut enim unum par (substantivum et adiectivum, vel adiectivum et substantivum) alteri pari praecedit: quam formam liceat *exteriorem* nominare; aut unum par altero continetur, quam figuram *interiorem* vocabo; aut denique unius paris substantivum et adiectivum (vel adiectivum et substantivum) alterius substantivo et adiectivo (vel adiectivo et substantivo) alternis vicibus excipiuntur: quod genus copulationis *alternum* dicam. Etiam apparet, in unoquoque trium harum formarum genere singula paria substantivorum adiectivorumque tum decussatim vel per *χιασμόν*, ut grammatici loquuntur, tum per *παραλληλισμόν* inter se conecti sibique consentire posse. Hinc octonae figurae in tribus hisce copulationis generibus proficiscuntur, quae singulae litteris *S* et *A*

---

[1]) Quod ait HULTGRENUS, *Observ.* cett. II, p. 19, ideo quod Ovidius ita scripserit *Callisto sacri pars fuit una chori* (Fast. II, 156) pro *Sacri Callisto* e. q. s. et *Fomentis speras cedere posse tuis* (Epp. ex P. I, 3,44) pro *Speras fomentis* e. q. s., hoc esse argumentum, quo demonstretur, «poetas versus similiter cadentes neque sprevisse neque iis favisse», ista, inquam, exempla nihil probant, cum fortasse Ovidius idcirco sic et non aliter scripserit, ne primus pentametri versus pes una voce spondiaca contineretur: quod in hexametro quoque fugisse plerumque poetas optimos, compertum est atque exploratum.

(quibus par primarium indicatur) et litteris *S'* et *A'* (quibus par secundarium significari volo [1]), variis hisce rationibus describentur:

1. In pari duplici exteriore:

Forma		Exemplum
I. *SAS'A'*	=	An dolor hic *vitiis* nescit abesse *tuis*. Prop. III, 8,32.
II. *ASS'A'*	=	Qualia creverunt moenia *lacte tuo*. Prop. V, 1,56.
III. *SAA'S'*	=	Mors gravis a templis in *cava busta* trahet. Ovid. III, 9,38.
IV. *ASA'S'*	=	Longa dies *molli* saxa peredit *aqua*. Tib. I, 4,18.
V. *S'A'SA*	=	*Auribus* et *puris* scripta probasse mea. Prop. III, 4,12.
VI. *A'S'SA*	=	Nempe *tuas lacrimas* littora surda bibent. Prop. V, 11,6.
VII. *S'A'AS*	=	*Melle* sub *infami* Corsica misit apis. Ovid. I, 12,10.
VIII. *A'S'AS*	=	Accendit *geminas lampadas* acer Amor. Tib. IV, 2,6.

2. In pari duplici alterno:

Forma		Exemplum
I. *SS'AA'*	=	Somniaque in *faciem* reddita saepe *meam*. Prop. V, 11,82.
II. *S'SA'A*	=	(Huius formae nullum exemplum repperi)
III. *SA'AS'*	=	Et pretium *plena* grande referre *manu*. Tib. I, 9,52.
IV. *S'AA'S*	=	Heu *mala* vexatae *quanta* tulere romae. Ovid. I, 14,24.

---

[1]) Quemadmodum par primarium et par secundarium ipse intellegerem, supra dixi.

Forma		Exemplum
V. *AS'SA'*	=	Capripedes *calamo* Panes *hiante* canent. Prop. IV, 16,34.
VI. *A'SS'A*	=	Heu referet *quanto* verba *dolore* mea. Prop. I, 1,38.
VII. *A'AS'S*	=	Et *turpi* crassas *gurgite* volvis aquas. Ovid. III, 6,8.
VIII. *AA'SS'*	=	Barbara *gypsatos* ferre catasta *pedes*. Tib. II, 3,60.

3. In pari duplici interiore:

Forma		Exemplum
I. *SS'A'A*	=	Adstringens digitos *orbe minore* tuos. Ovid. II, 15,20.
II. *AS'A'S*	=	Duxit araturos sub *iuga panda* boves. Tib. I, 10,46.
III. *SA'S'A*	=	Crescet et ingenium sub *tua iussa* meum. Prop. IV, 8,52.
IV. *AA'S'S*	=	Adsiduas *atro viscere* pascit aves. Tib. I, 3,76.
V. *S'SAA'*	=	Ostendens *matri* brachia laesa *tuae*. Prop. III, 7,20.
VI. *S'ASA'*	=	Praebeat *hospitio* saeva Malea *suo*. Prop. IV, 18,8.
VII. *A'SAS'*	=	*Virginea* tenuit cornua vara *manu*. Ovid. I, 3,24.
VIII. *A'ASS'*	=	Quos tibi dat *tenera* docta puella *manu*. Tib. IV, 6,2.

Quibus formarum generibus propositis, videamus, si placet, quae magis minusve celebratae atque excultae sint ab elegiae Latinae scriptoribus: ex quo illud etiam efficietur, quae substantivorum adiectivorumque collocationes omnium artis plenissimae atque elegantissimae sint habitae, si quidem ex earum usu frequentiore insolentioreve

aliquam etiam maioris minorisve excellentiae praestantiaeque coniecturam capere licet.

Ex tribus paris duplicis generibus copulationem eam, quam diximus exteriorem, minimum a poetis elegiacis probatam esse, et ex numeris, quos subiecero, elucebit et facili etiam coniectura assequimur, cum in hac verborum dispositione artificium nullum aut admodum simplex attenuatumque ac paene dixi rude cernamus, quippe cum bina substantiva, cum suis quaeque adiectivis coniuncta, uno tamquam tenore procedant nec ad orationis vim augendam vel sententiam acuendam multum conferant [1]. Sed aliter iudicandum est cum de pari duplici alterno, tum de pari duplici interiore [2], in quibus aut utrum-

[1]) Hanc eandem causam esse puto, cur alia quoque vocabula quae grammatica quadam ratione inter se cohaerent (ut subiectum et verbum vel quod ei attributum est, ut verbum et quod ad hoc propius definiendum additur cett.) perraro in uno versus (et hexametri et pentametri) colo reperiantur; quae contra plerumque (dummodo ne aliae grammaticae leges obstent, ut tum cum praepositio sunt et nomen, quod ex ea aptum pendet) alia in aliis colis leguntur et in totius versus vel strophae ambitu inter se coniunguntur: quod si hae orationis partes magni ponderis sint, extremam uniuscuiusque ordinis sedem iis occupari, recte monet Eichnerus l. adl. *Bemerkungen* cett. p. 33, qui quoque tamen in homoeoteleutis percensendis (c. III, p. 29 seqq. ac proprie p. 35 seqq.) eorum fines paullo longius, quam natura et ratio vult, protulisse mihi quidem videtur (ut maxime in exemplis pag. 38 adlatis; qua in re Dingeldeinum quoque nimium esse equidem puto, qui nuperrime de Graecorum et Romanorum homoeoteleutis [*Der Reim bei den Griech. und Röm.* Leipz. 1892] scripsit et in horum exemplis ex poetis elegiacis proferendis Grimmio teste et auctore utitur, p. 112 seqq.): sed ei adstipulor cum dicat, hoc in genere poetas elegiacos (ut nimirum in optimo quoque poeta) praeceptum illud perceptum habuisse «τῇ χειρὶ σπείρειν, μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ».

[2]) Huius implicationis duplicis, quam appellavi *interiorem,* singula paria eandem inter se et ad totum rationem habere, auctore Hultgreno, dici potest atque involucrum et nucleum (*Die Technik* cett. p. 756): illius contra copulationis geminae, quam *alternam* dixi, singula adiectiva et

que substantivum a suo adiectivo separatur aut alterum par alterius paris substantivo et adiectivo comprehenditur, idque modo per χιασμὸν modo per παραλληλισμὸν in utraque vocabulorum conexione fit; ut quam eximia verborum collocatio et ad orationem ornandam apteque concludendam accommodata exsistat, nemo non videt ac sentit, qui admodum non sit ἄμουσος vel, ut Latine loquar, a Musis aversus, et teretibus auribus intellegentique iudicio praeditus legitimum versuum sonum bonamque eorum partes convenienter disponendi artem noverit animoque comprehenderit [1].

Ex subiectis autem tabellis quotiens singulae trium parium formae apud singulos poetas legantur, perspicuum erit:

Par exterius

Forma	Apud Tib.	Apud Prop.	Apud Ovid.	Summa univ.
I. *SASA'*	1	3	1	5
II. *ASSA'*	0	3	1	4
III. *SAA'S'*	1	4	3	8
IV. *ASA'S'*	4	14	2	20
V. *S'A'SA*	0	8	5	13
VI. *A'S'SA*	2	4	2	8
VII. *S'A'AS*	2	9	5	16
VIII. *A'S'AS*	4	27	20	51
	Summ. 14	Summ. 72	Summ. 39	125

---

substantiva catenae anulis, auctore Krafftio l. adl. p. 12, comparabis, cum ante quam altera notio plena fiat, altera iam incohata sit.

[1]) In poesis genere illo, quod recentiore nomine nostrates vocant *poesia barbara*, hanc quoque ob causam (ut, praeter alia, non loquar de hexametri caesura primaria, quae cum in carminis epici tum maxime in elegiaci hexametris mascula illa semiquinaria est apud Romanos plerumque, cum apud nostrates feminina illa ac debilis, quae dicitur trochaica,

Par alternum

Forma	Apud Tib.	Apud Prop.	Apud Ovid.	Summa univ.
I. *SS'AA'*	0	7	7	14
II. *S'SA'A*	0	0	0	0
III. *SA'AS'*	7	46	20	73
IV. *S'AA'S*	1	2	3	6
V. *AS'SA'*	0	9	7	16
VI. *A'SS'A*	0	2	2	4
VII. *A'AS'S*	11	25	22	58
VIII. *AA'SS'*	29	95	31	155
	Summ. 48	Summ. 186	Summ. 92	326

Par interius

Forma	Apud Tib.	Apud Prop.	Apud Ovid.	Summa univ.
I. *SS'A'A*	0	2	4	6
II. *AS'A'S*	4	16	8	28
III. *SA'S'A*	2	6	3	11
IV. *AA'S'S*	19	68	41	128
V. *S'SAA'*	1	24	23	48
VI. *S'ASA'*	2	25	29	56
VII. *A'SAS'*	29	89	40	158
VIII. *A'ASS'*	39	102	27	168
	Summ. 96	Summ. 332	Summ. 175	603

numquam fere non inveniatur, idque ita esse prope necesse sit, dummodo ne iusto saepius postremam vocis syllabam in incisione acui velimus), hanc quoque, inquam, ob causam equidem puto, exemplarium veterum maximeque Latinorum eximium artificium elegantiamque imitari atque assequi non posse nostrae aetatis poetas, quod ipsa Italicae linguae (ut de hac tantum dicam) natura obstare ac repugnare plerumque videtur, quominus a suo substantivo adiectivum distrahatur: ut quas cum in pari simplici tum praecipue in pari duplici admiramur apud Latinos subtilissimas optimasque substantivorum adiectivorumque

Primum vero in universis paribus hoc est observandum, maiorem formarum varietatem inveniri apud Propertium et Ovidium [1], longe minorem apud Tibullum,

collocationes, has, inquam, in Italicae poesis pentametris fieri non posse necesse sit, in quibus contra eas constructiones longe creberrimas ac paene constantes esse patet, quae a Latinis et perquam raro usurpabantur et omnium maxime inelegantes et illepidae ducebantur. CARDUCCIUM autem nostrum hac certe in re poetas Latinos optime secutum esse quod pentametro totam plerumque sententiam finiat et concludat, docet STAMPINIUS l. adl. *Le Odi Barbare* cett. p. 59.

[1]) Multa etiam alia figurarum genera et excogitari possunt et reperiuntur in Tibulli, Propertii, Ovidii carminibus elegiacis: sed haec omnia aut eodem referenda non sunt, ut tum cum in unius alteriusve paris adiectivis vis insit *praedicativa*, quam dicunt grammatici, non *attributiva* (de qua re antea dixi), aut in nullum ordinem venire possunt, ut apud Tibullum (II, 5,82) *Omine quo felix et sacer annus eat*, vel apud Propertium (V, 1,36 M.) *Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi*, vel apud Ovidium (II, 1,2) *Ille ego nequitiae Naso poeta meae:* quae cum ad varietatem et plura et insolentiora, eo sunt etiam in singulis formis ad numerum rariora. Sed huc accedant eius generis figurae, quibus una aliave earum formarum, quas supra indicavi, contineri dici possit, eas dico figuras, in quibus etiam tertium adiectivum (vel vocabulum, cui vis et notio adiectivi subiecta sit) duobus adiectivis paris duplicis adiungitur: quas, ad tertium adiectivum indicandum, littera modo *T* modo *T'* posita, prout in pari primario vel in pari secundario reperitur, sic fere significabo:

AA'STS' = Garrula silvestri fistula sacra deo. Tib. II, 5,30 (cfr. I, 8,76; IV, 13,10; Prop. III, 12,30; IV, 6,30; 12,60; 16,22; V, 4,40; 5,26; 8,50; Ovid. I, 15,22; III, 6,12; 9,30; 12,40).

AA'TSS' = Alba Palaestino sancta columba Syro. Tib. I, 7,18 (cfr. I, 7,48; Prop. III, 18,14; IV, 2.8; 10,18; V, 4,44; 6,68; 7,16; Ovid. I, 7,4; 8,98; II, 11,38; 42).

TA'AS S' = Cinctaque funesto lanea vitta toro. Prop. IV, 5,30 (cfr. V, 3,64; 5,24; Tib. I, 3,52; 5,24; 7,46; II, 3,48; Ovid, II, 1,32; 6,22).

AS'TSA' = Primaque per numeros acta iuventa suos. Ovid. III, 1,28 (cfr. Prop. I, 3,46; V, 3,18; Tib. I, 3,28).

Aliae huius generis formae aut bis aut semel (quod fit saepius) in horum poetarum distichis leguntur. Has satis habeo litteris ac locorum numeris nude atque simpliciter indicare: *SS'ATA'* = Prop. III, 7,2; V, 10,2; *SS'TAA'* = Tib. II, 5,50; Prop. V, 1,126; *SA'ATS'* = Prop. II, 6,6; V, 6,38;

quem, quae erat eius nuda rectaque oratio ac maior simplicitas atque subtilitas quam Ovidii maximeque Propertii, non est mirum, multorum copulationis generum, quorum loci leguntur apud ceteros, aut nulla aut perpauca exempla praebere. Unius formae (n. II in pari *alterno, S'SA'A*, cuius ipse hoc exemplum fingo: *Cum serto venit pater olente tuus*) nullum exstat in eis elegiis, quas quidem perscrutatus sim, documentum: cuius rei causam nullam aliam afferre possum nisi fortasse hanc, quod non multum placebat utrumque substantivum a suo adiectivo sic distrahere, ut ambo substantiva praecederent, ambo adiectiva subsequerentur (– aliter enim se res habet in paris *interioris* num. I et V, figg. *SS'A'A* et *S'SAA'*), idque tali modo, ut substantivum paris secundarii primum locum, adiectivum paris primarii postremum obtineret (nam aliter fit in eiusdem paris *alterni* num. I, fig. *SS'AA'*, cuius quoque nullum exemplum apud Tibullum, perrara sunt apud Propertium et Ovidium): in hac enim verborum collocatione duae formae coniunctae sunt, quae universae admodum raro inveniuntur: una, in qua bina adiectiva suis substantivis postponuntur, altera, in qua unumquodque adie-

---

ASA'TS' = Prop. IV, 12,40; 17,8; *ATA'S'S* = Prop. I, 17,8; II, 1,10; *AS'STA'* = Prop. IV, 17,32; V, 3,34; *TS'SAA'* = Prop. I, 19,18; V, 4,32; *TA'AS'S* = Tib. 2,5,28; Prop. IV, 8,42; *A'AS'TS* = Ovid. I, 5,10; III, 15,20; *SAA'TS'* = Prop. III, 11,6; *STA'AS'* = Prop. I, 17,12; *ASS'TA'* = Prop. III, 15,28; *ATS'SA'* = Prop. V, 7,50; *SA'TAS'* = Prop. V, 10,20; *AA'TS'S* = Ovid. II, 1,6; *AA'S'TS* = Prop. IV, 10,40; *TSS'AA'* = Prop. I, 20,34; *TAA'S'S* = Prop. V, 11,70; *TA'SAS'* = Tib. I, 10,24; *TS'ASA'* = Tib. I, 9,82; *S'ASTA'* = Prop. V, 6,40; *S'A'AST'* = Prop. IV, 7,2; *A'ATSS'* = Prop. IV, 24,20; *A'T'S'AS* = Prop. II, 8^b,26. — Ex quibus quoque numeris apparet, Propertium maiore variarum huius generis formarum numero pollere, quam Ovidium et Tibullum.

ctivum a suo substantivo separatur: quod copulationis genus, ut mox viderimus, longe rarius est quam alterum, in quo unum certe substantivum a suo adiectivo non disiungitur.

Nunc autem si singula paria inter se comparanda sunt, sic reperiemus, omnium frequentissimum huius verborum coniunctionis genus esse paris *interioris*, deinde magno intervallo sequi par *alternum*, tertium longeque ultimum locum esse pari *exteriori*. Quod numeri ipsi apertius declarabunt. Nam in universis poetarum elegiacorum principum pentametris numerus

paris *int.*	est	603	(apud T.	96;	apud P.	332;	apud O.	175)
» *alt.*	»	326	(»	» 48	»	» 186	»	» 92)
» *ext.*	»	125	(»	» 14	»	» 72	»	» 39)
	Summa	1054	(Summ.	158	Summ.	590	Summ.	306).

Hinc fit, ut, cum universus harum formarum numerus sit 1054, in centesimis quibusque locis ratio

paris *interioris*	haec fere sit:	57,21 %
» *alterni*	»	30,93 %
» *exterioris*	»	11,86 %.

Rationes vero apud singulos has fere inveni:

	Apud Tibullum		Apud Propertium		Apud Ovidium
In pari *interiore:*	60,76 %	—	56,27 %	—	57,19%
» *alterno*:	30,38 %	—	31,52%	—	30,06 %
» *exteriore*:	8,86 %	—	12,21 %	—	12,75%.

Ex hac tabella, quam ultimam proposui, luculenter patet, in artificio substantivorum adiectivorumque eleganter apteque copulandi primas esse deferendas Tibullo,

apud quem non solum quae optima ducitur conectendi ratio crebrior reperitur, sed etiam quae minus bona habetur rarior comparet quam apud ceteros; inter Propertium autem et Ovidium nullum fere est discrimen, nisi quod in pari *interiore* paullo est superior Ovidius Propertio, in pari *alterno* Propertius Ovidio.

Ut missas faciamus formas eas, quae ad reliquarum numeros comparatae non ita crebro inveniuntur (atque hanc ob causam omnes eas omittimus, quae generis *exterioris* sunt, quippe quo in genere nulla forma, nisi forte o c t a v a, *A'S'AS*, quae paullo sit frequentior, aliquam habeat cum ceteris comparationem), apparet, formas o c t a v a m et s e p t i m a m in pari *interiore* (*A'ASS'* et *A'SAS'*) cum omnium creberrimas tum etiam omnium elegantissimas habitas esse, has quam minimo intervallo sequi formam o c t a v a m in pari *alterno* (*AA'SS'*), denique tertias occupare formam in pari *interiore* q u a r t a m (*AA'S'S*): quae omnia et alia ex subiecta tabella cum superiore collata luculentius efficientur:

			Numerus	Exemplum
I.	in pari inter.	*A'ASS'* (VIII[a])	168	Quos tibi dat *tenera* docta puella *manu.*
		A'SAS' (VII[a])	158	*Virginea* tenuit cornua vara *manu.*
II.	in pari alt.	*AA'SS'* (VIII[a])	155	Barbara *gypsatos* ferre catasta *pedes.*
III.	in pari int.	*AA'S'S* (IV[a])	128	Adsiduas *atro viscere* pascit aves.
IV.	in pari alt.	*SA'AS'* (III[a])	73	Et pretium *plena* grande referre *manu.*
		A'AS'S (VII[a])	58	Et *turpi* crassas *gurgite* volvis aquas.

Reliqua genera, quippe cum id ad rem non sit necessarium, tacitus praetereo.

Ut apud universos, sic apud singulos poetas hasce formas eodem fere ordine in usu versari repperimus, nisi quod figura $A'ASS'$, quae ut in universis pentametrorum formis, sic apud Tibullum et Propertium principatum tenet, quintum locum occupat apud Ovidium: sed huius formae et ceterarum, quas proxime indicavi, numeri non valde differunt inter se in Ovidii distichis.

Ex superiore autem tabella et ex aliis numeris, quos hic omisimus atque supra indicavimus, plane constat, omnium optimas eas habitas esse formas, in quibus vel unum et alterum adiectivum (id quod fit plerumque) vel certe alterius utrius paris adiectivum primam obtineat sedem (vel, si praecedit substantivum, ut in ordine IV [paris alterni fig. III], adiectiva suis substantivis continentur): quod ea confirmat, quae supra de utroque adiectivo postposito disputantes animadvertimus atque statuimus; praeterea id quoque evincitur, ut appareat, non admodum verum esse quod olim contendit Hultgrenus, qui, cum Tibulli versum attulisset *Hic placidam niveo pectore pellit aquam* (I, 4, 12), adfirmavit, Tibullum non scripturum fuisse *Hic niveo placidam pectore pellit aquam*, ne utrumque adiectivum, id quod perhorrescerent poetae, a suo substantivo seiungeret [1]. Sed primum

[1] Fr. C. Hultgren. *Die Technik der röm. Dicht. im ep. und eleg. Versmasz*, in *Iahrbb. für class. Phil.* 1873 (vol. 107), p. 756. Verba ipsa Hultgreni exscribam: «...bei einer längern Beobachtung... wird man eine entschiedene Regelmäszigkeit entdecken... So schrieb Tibullus eben so wie wir die Worte angeführt und nicht: *hic niveo placidam pectore pellit aquam*, eine Kreuzstellung von Adjectivum und

hanc causam diluunt ac refellunt numeri ipsi versuum huius instar, praeter alias formas, compositorum (*A'AS'S*-fig. VII in pari alterno); deinde quod Tibullus scripsit *Hic placidam niveo pectore pellit aquam* (fig. *AA'S'S*), non vero ita *Hic niveo placidam pectore pellit aquam* (fig. *A'AS'S*), aliae fortasse causae adferri possunt, vel quia forma illa melior, ut erat, ei videbatur, vel quia orationis varietati studebat, cum versus pentameter formae *AA'SS'*, in quo utrumque adiectivum a suo substantivo per παραλληλισμὸν separatur (quod idem fieret in forma *A'AS'S*), subsequeretur — *Virgineus teneras stat pudor ante genas*, v. 14 —, vel denique ut malam auribusque ingratam trium verborum compositionem a littera *p* incipientium atque inter se continenter excipientium (*placidam pectore pellit*), alia voce interposita, tolleret aut minus iniucundam molestamve efficeret[1]. Sed Gebhardius quoque,

Substantivum, welche das Metrum an und für sich würde zugelassen haben, die aber entschieden von den Dichtern, so weit wir sie darauf hin angesehen haben, perhorresciert wurde, weil es ihrem Gefühl widersprach beide Adjectiva von ihren Substantiven zu trennen. Es bildet gleichsam das eine Substantivum mit dem dazu gehörigen Adjectivum die Hülle, das andere mit seinem Adjectivum den Kern, der unverletzt in dieser Hülle liegt. Wol darf die Hülle sich lockern, unberührt jedoch musz der Kern bleiben». Hoc idem, Vergilii versu adlato: *praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum* (Georg. III, 359), adfirmat Hultgrenus in hexametro (— qua in re cfr. etiam. Rem. Sabbadini. *Comment.* ad Verg. Aen. VII, 362 et VIII, 300 [Torino, 1887] et Krafft. l. adl. p. 14 seqq.). Quae sententia hac ex parte, opinor, vera est, quod par *interius* omnium optimum habebatur et creberrime etiam invenitur, ceterum eandem falsam esse dicendum est, cum poetas elegiacos a pari *alterno* non abhorruisse atque adeo frequentissime formas *AA'SS'*, *SA'AS'*, *A'AS'S* (ut praecipuas in hoc pari nominem) usurpasse, numeri nostri satis aperte declarent.

[1]) A nimia allitteratione, quae dicitur, alienos fuisse poetas Romanorum elegiacos, monui libelli, quem inscripsi *Osservazioni sull'uso*

ut mihi quidem videtur, errat [1], qui cum utramque formam in frequentem poetarum usum receptam esse optimo iure scripsisset, usitatiores dixit versus (si quidem recte eius sententiam intellexi: nam hac in re subobscuris verbis ille quidem uti mihi videtur), in quibus utrumque adiectivum a suo substantivo dividitur, quam versus in quibus par alterum pari altero comprehenditur.

Quod si quaerimus utrum per χιασμὸν an per παραλληλισμόν, ut more Graecorum loquamur, in hac substantivorum adiectivorumque copulatione verba collocare magis soliti fuerint poetae Romanorum elegiaci, eos formam posteriorem priori praetulisse, statuendum est: namque verborum collocationem per παραλληλισμόν (qua in re ordinem substantivorum cum ordine adiectivorum in unoquoque trium parium genere in contentionis iudicium vocavi) s e s c e n t i e s s e x a g i e s s e x i e s, alteram autem decussatam vel per χιασμὸν t r e c e n t i e s o c t o g i e s o c t i e s repperi.

Quod vero spectat ad rationem, qua binae substantivorum adiectivorumque copulationes pentametri incisione dividuntur, haec universa lex duplex statuenda esse videtur:

---

dell' Allitterazione nella lingua latina. Padova, 1889, pag. 13. Patet autem, hanc vocem *allitterationis* a me non sic dictam esse quasi *adnominationem* a Cornificio (IV, 21,29) vel *verbi litteraere immutationem* a Cicerone (De Orat. II, 53,256; Orat. XXV, 84), sed sic intellego tamquam verborum similiter incipientium coniunctionem atque concentum. Cfr. ibid. p. 21 seq.

[1]) Walth. Gebhardi. *Zur Techn. der röm. Dicht. im ep. und eleg. Versmasz*, in *Jahrr. für class. Phil.* 1874 (vol. 109), p. 647 seq. Disceptationem, quae hac in re inter Hultgrenum et Gebhardium versata est quaeque etiam ad quaestionem de homoeoteleutis pertinet, strictim tetigi libelli adl., qui est a me inscriptus *Dell' Omeoteleuto latino*, pag. 72 adn. 51.

aut enim priore hemistichio duae voces (sive duo adiectiva, quod fit longe frequentissime, sive adiectivum et substantivum vel substantivum et adiectivum, quod satis crebro reperitur, sive duo substantiva, quod rarissimum est ad inveniendum) continentur, hemistichio posteriore reliquae duae: in posteriore autem plerumque suum tenet locum verbum temporale [1]: quod facile est intellectu, cum verbum ad sententiam in extrema oratione finiendam concludendamque aptissimum videatur: qua etiam verborum aequabili distributione, cuius a Tibullo hoc exemplum sumo: *Et pretium plena || grande referre manu* (I, 9,52), concinnam quoque sententiae metrique congruentiam aequalitatemque assequebantur poetae elegiaci. Sed non minus frequens est nec minus elegans habita ab elegorum scriptoribus altera verborum distributio, qua substantiva et adiectiva non aeque in utroque hemistichio dividuntur: fit enim saepissime, ut vox una, quae ex maxima exemplorum parte adiectivum est, priore hemistichio, tres reliquae posteriore contineantur: tum verbum temporale, quae etiam facilis est coniectura, vel in priore hemistichio vel in hexametro reperitur: quam quoque verborum collocationem (– hanc sic fere significato: 1.||2.3.4.; perraro autem in concursum verborum huic contrarium: 1.2.3.||4. incidimus) elegantissimam, inquam, ducebant elegiaci: nam cum et verbum et una vox in priore pentametri hemistichio parum

---

[1]) Primus, quod sciam, BROUCKUSIUS, contra SCALIGERUM de quibusdam Tibulli verbis transpositis disputans, eam verborum collocationem in Tibulli elegiis animadvertit ac laudavit, qua bina *epitheta*, « quae dispescantur una vocula media » in priore hemistichio, in posteriore autem bina *subiecta* « cum uno verbo regente itidem medio » collocantur (ad eleg. II, 6, 22, p. 280, Amst. 1708).

ad sententiam explicandam videretur, haec tribus reliquis vocibus, vel per χιασμὸν vel per παραλληλισμὸν priori et inter se convenienter arcteque respondentibus, satis commode in posteriore hemistichio absolvebatur, adeo ut hic quoque, ut in forma superiore, erecta animi exspectatio in extrema tandem versus parte omnino expleretur. Sed ad numeros ipsos veniamus:

In pari *interiore* divisio adiectivorum substantivorumque aequa (1. 2.||3. 4.) longe rarior est divisione altera, quam non aequam nomino (1.||2. 3. 4.) cuiusque ex Ovidio hoc exemplum pono: *Evolat* admissis || discolor agmen equis (III, 2,78): in versibus enim 603, quotquot paris *interioris* locos esse supra vidimus, divisio non aeque fit quadrigenties octogies quinquies,[1] aeque centies duodevicies [2]; at contra in pari *alterno* divisio aequa multo saepius fit quam non aequa: in versibus enim 326 illa reperitur ducenties duodecenties, haec duodetricies [3]; in pari denique *exteriore* utriusque generis divisiones nihil fere numeris inter se distant:

---

[1]) Divisionis non aequae sed ordine huic contrario (=1.2.3.||4.) unum est exemplum in forma VIII, *A'ASS'*, apud Propertium, II, 3,28.

[2]) In hoc pari, excepta forma IV, *AA'S'S*, in qua divisio aequa longe saepius fit quam contraria, reliquae formae fere constanter (ut forma VI, *S'ASA'*, uno loco excepto Tib. I, 5,18, vel forma VII, *A'SAS'*, in qua excipiuntur loci tres Prop. II, 5,12; IV, 15,8; V, 3,50, vel forma VIII, *A'ASS'*, in qua excipiuntur loci duo Prop. II, 6,16; III, 21,8) divisione non aequa notantur.

[3]) Divisio non aequa, sed ordine huic contrario (= 1.2.3.||4.), fit bis in forma IV, *S'AA'S*, semel apud Tibullum, I, 10,64, et semel apud Propertium, IV, 25,4. Etiam id est animadvertendum, in forma VIII, *AA'SS'*, quae in pari alterno omnium est elegantissima eademque maxime usu recepta, numquam aliter nisi aeque substantivorum adiectivorumque paria separari.

in versibus enim 125 divisionis aequae numerus est 65, non aequae 60 [1]. Igitur numeri universi divisionis aequae et non aequae sunt 481 et 573 (div. aeq. 481 + div. non aeq. 573 = 1054: quae est trium parium duplicium summa universitatis [2]).

---

[1]) In hoc pari, quod omnium rarissimum est atque minime elegans ducebatur, etiam divisione illa non aequa, qua fit, ut tres voces priore hemistichio, quarta vox posteriore contineatur, quaeque ter in reliquis paribus invenitur, iusto saepius offendimur (ut fere semper in forma IV, *ASA'S'*): in locis enim 60, in quibus substantiva et adiectiva non aeque, sed, ut ita dicam, sic legitime dividuntur: 1.‖2.3.4, loci sunt 25, in quibus contraria eademque inficeta atque inelegans divisio 1.2.3‖4 fit.

[2]) Quod si quaerimus qua ratione in centenis singulorum poetarum pentametris haec tria paris duplicis genera reperiantur, id tabella, quam apponimus, declaratur:

	Apud Tib. (pent. 691)	Ap. Prop. (pent. 2005)	Ap. Ovid. (pent. 1227)
Par int.	96 = ratio: 13,89 %	332 = ratio: 16,55 %	175 = ratio: 14,26 %
Par alt.	48 = » 6,94 %	186 = » 9,27 %	92 = » 7,49 %
Par ext.	14 = » 2,02 %	72 = » 3,59 %	39 = » 3,18 %.

Etiam, cum universi horum poetarum pentametri, quorum rationem habuimus, sint 3923 et apud universos

paris interioris numerus sit 603
» alterni » 326
» exterioris » 125,

ratio universa est

in pari interiore fere 15,37 %
» alterno » 8,31 %
» exteriore » 3,18 %.

Postremo par duplex (interius, alternum, exterius) his numeris atque his rationibus apud singulos indicatur:

	Numerus	Ratio
Apud Tibullum	158	22,86 %
» Propertium	590	29,42 %
» Ovidium	306	24,94 %.

Igitur in universis poetarum elegiacorum distichis (3923) cum par duplex (interius, alternum, exterius) numero 1054 significetur, sequitur, ut in centenis versibus pentametris ratio fere sit 26,86 %: quae ratio luculenter declarat, copulationem substantivorum adie-

Sed alia in optima Latini distichi compositione ac forma animadvertenda atque laudanda sunt. Si enim quaerimus, qua ratione arteque hexameter et pentameter inter se copulentur ad distichon elegiacum sic efficiendum, ut stropha hinc exsistat una atque per se omnibus partibus expleta, apparet, modo hexametrum et pentametrum ita aeque conformari atque iuxta collocari, ut prior alteram sententiae partem, alteram posterior contineat, ut Tib I, 7,33 seq.:

— Hic docuit teneram palis adiungere vitem —,
— Hic viridem dura caedere falce comam —,

modo alterum orationis membrum una hexametri parte, alterum reliquà pentametroque comprehendatur, ut Ovid. II, 17,21 seq :

— Carminis hoc ipsum genus impar —: sed tamen apte
Iungitur herous cum breviore modo —,

vel contrarie apud Propertium, I, 12, 13 seq.:

— Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor — et ipse meis auribus esse gravis —,

modo plura etiam cola vel uno alterove vel utroque versu concludantur, ut Tib. II, 1,5 seq.:

— Luce sacra requiescat humus —, requiescat arator —,
— Et grave suspenso vomere cesset opus —,

---

ctivorumque geminam satis esse frequentem apud poetas Romanorum elegiacos, quippe cum universi eorum pentametri paribus unius aliusve generis duplicibus plus quam ex quarta parte notentur. In singulis autem poetis cum parium varietate tum copia maxime praestat Propertius, minimum Tibullus, ut medium inter hos teneat locum Ovidius.

atque id genus alia, quae cum in universis poetarum elegiacorum distichis leguntur, tum maxime apud Tibullum Gruppius, praeter alios, docuit l. adl. p. 14 seqq. [1] (Cfr. etiam Teuffel. *Geschichte* cett. p. 549, A. 6; Dissen. l. adl. p. CXX; Eichner. l. adl. *Bemerkungen* cett., p. 34, et *De poett.* cett. p. 57 seqq., ubi de ea, quam ipse vocat, *διχοτομία*, in universis poetarum elegiacorum distichis uberius disputat). Quae igitur cum missa faciam, id nunc considerandum esse censeo, si singula disticha ex singulis quaeque tamquam corporibus numquam non conficerentur, neque ulla inter se ratione aptarentur, carmen inde oriturum fuisse admodum inscitum ac taedii plenum, quippe cum singulae strophae elegiacae singulis quibusque pentametris putide ac moleste concluderentur et nulla numerorum varietate atque uno quasi tenore continuarentur: ut et pari sententiarum circuitu et compositionis aequalitate audientium vel legentium animos defatigari verum esset. Opus erat igitur ad orationis vitium defugiendum quod graece antea diximus *μονοτονίαν*, disticha nonnumquam etiam sic conformari atque iungi, ut, cum unumquodque distichon ex optima, quam vidimus, carminisque ipsius naturae congruenti norma simplex esset dumtaxat et unum, tamen haec eadem disticha non quasi sola essent ac solitaria, sed concinna quadam coniunctione ac tamquam societate apte conecterentur atque inter se responderent. Quod ut perficerent neve infelices operis summa viderentur, quia ponere *totum* nescirent, poetae Romanorum elegiaci principes tum disticha sic pangebant, ut

[1]) Hunc locum in Propertii elegiis proprie tractavit Sperlingius. *Properz in sein. Verhältn. zum Alexandriner Kallimachus.* Strals. 1879, p. 18 seq.

quae affinia aut contraria essent, ideo etiam una simul componerentur atque colligarentur, ut orationis sententiae aut similium aut contrariorum vi magis acuerentur earumque pondus exaugeretur; tum etiam (id quod nunc proprie pervestigabo) plura disticha, quorum unumquodque unam aliquam orationis partem integram atque per se expletam contineret, sic coniungebant, ut non ante tota orationis sententia plane perfecteque explanaretur atque intellegeretur, quam ad extremum huiusmodi complexionis distichon esset perventum [1]. Qua in re ita versati sunt poetae elegiaci, ut modo verborum exornationibus, ex quibus nulla est usitatior repetitione [2], sententias inter se nexas et iugatas explicarent, modo aliis rationibus, quae ad grammaticam pertinent (ut tum cum una aut plu-

---

[1]) Cfr. Eichner. l. adl. *Bemerkungen* cett. p. 28: «Der Gedanke, sich in sich gliedernd, schliesst naturgemäss mit der Strophe ab oder dehnt sich über mehrere Distichen in der Art aus, dass jedem eine gewisse grammatische Selbstständigkeit gewahrt bleibt. Darin liegt der Grund für die häufige Anwendung des Distichons zu Epigrammen».

[2]) Cornif. ad Her. IV, 13, 19. Hoc orationis ornamentum variis nominibus (ut sunt ἀναφορά, ἐπαναφορά, ἐπάνοδος, ἐπανάληψις) appellabatur a Graecis; cfr. Volkmann, *Rhetorik* cett. p. 467. In variis huius anaphorae generibus illud est etiam praecipue apud Tibullum praedicandum, quo fit, ut verbum in superiore disticho, idque plerumque in pentametro, ad secundariam sententiam pertinens sic in disticho subsequenti repetatur, ut hic ad primariam referatur: veluti II, 2, 18 seq. aliisque locis, quos in medium profert Bubendeyus l. dl. *Die Symm.* cett. p. 12. Etiam ex πολυσυνδέτῳ, quod Latine dixeris *concrum,* hae distichorum complexiones saepissime fiunt. De versu autem intercalari, quem recentiores *refrain* vocant, cuiusque u n u m in elegiis certum est exemplum Ovid. Am. I, 6, videsis quae disputaverunt Luc. Muell. l. adl. *De Or. Am. libr.* cett. p. 78, Rautenberg. l. adl. p. 20, Bubendey. l. adl. *Die Symm.* cett. p. 13 seq. Etiam Her. IX Deian. vv. 146. 152. 158. 164 huius artificii indicium exstat; cfr. Luc. Muell. *d. r. m* p. 464 (= Opusc. IV, quod est de *ludibriis artis*).

res partes unius enuntiati vel *temporalis* vel *causalis*, vel *relativi* vel *condicionalis* vel *finalis* vel *consecutivi* vel *comparativi* vel *disiunctivi* cett. uno aut pluribus distichis, altera aut reliquae partes altero aut reliquis distichis integre continentur [1]), ea quae vellent pluribus distichis ad unitatis rationem tamquam redactis commode apteque exprimerent, ut oratio, quasi conversionibus absolutis illustrata, forma ipsa concinnitateque versuum atque verborum orbem suum conficeret. Ex quo in una elegia plures distichorum ambitus vel comprehensiones vel complexiones vel continuationes (has a grammaticis verbum mutuatus etiam appellaveris *periodos* metricas) oriri oportere, perspicuum est, in quibus cum singula disticha per se sint una et simplicia, tum in hac coniunctione ad unitatem reducuntur, adeo ut et ex singularibus distichis et ex eorum complexionibus unum quiddam fiat ex toto carmine, tamquam in aliquo circulo, in quo orbes maiores

---

[1]) Saepe plura sunt enuntiata atque ea non unius sed varii generis, quae una distichorum continuatione comprehenduntur, ut Prop. I, 11, 9-18: «Atque utinam mage te remis confisa minutis - Parvola Lucrina cymba moretur aqua, - Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda - Alternae facilis cedere lympha manu, - Quam vacet alterius blandos audire susurros - Molliter in tacito littore compositam, - Ut solet amoto labi custode puella - Perfida, communes nec meminisse deos; - Non quia perspecta non es mihi cognita fama, - Sed quod in hac omnis parte veretur amor». Praeterea (ut haec quoque addam satis frequentia) periodus metrica vel ex orationibus aversis vel compellationibus vel invocationibus oritur, cum in priore disticho nomen illius est ad quem se convertit poeta, posteriore vel posterioribus allocutio ipsa continetur, ut Ovid. II, 15, 1 seqq.; etiam una pars complexionis parte altera tamquam per ἐπεξήγησιν enarratur, ut Tib. I, 7, 1 seqq., vel priori parti enuntiati in altera res obiecta additur, ut Prop. III, 32, 55 seqq. Sed manum, ut aiunt, de tabula! nam exempla alia sescenta huius fere generis afferri possunt.

minoribus circumducantur [1]. Sed in hac re optimos elegiae Latinae scriptores, si tamen Propertium interdum exceperis, modum adhibuisse et quid deceret sensisse, di-

---

[1]) Inde factum est, ut nonnulli in singulis elegiis convenientiam quandam partium et aequalitatem statuere vellent, easque ad normam certam figuramque aliquam exigere studerent. Quam rem si universe quaerimus, cum in optimorum poetarum mentibus species quaedam pulchritudinis atque elegantiae insideret, ut tamquam sponte sua forma apta ad numeros ipsos veniret et cum «l'intenzion dell'arte» congrueret, id non est infitiandum, eorum carmina etiam iusta idoneaque partium distributione esse conspicua: sed hoc natura magis factum, quam arte curiosius quaesitum, potius crediderim, atque in hac re modum certosque fines, «quos ultra citraque nequit consistere rectum», interdum non servasse contendo CAROLUM PRIEN. l. adl. *Die Symmetrie und Resp. der röm. Elegie* cett. (cfr. eiusdem *Die symm. Anlage der Sulpicia-Elegien des Tibullus* in *Jahrbücher f. Phil.* LXXXIII [1861], p. 149 seqq. et CI [1870], p. 689 seqq. *Zur Crit. und Erkl. des Tib.* [Elegg. I, 1 et 10]) GERH. HENR. BUBENDEY. l. adl. *Die Symm. der röm. Eleg.* cett. (cfr. eiusdem *Quaest. Tibull.* Bonn, 1864), GUIL. WISSER. *Quaest. Tibull.* Lips. 1869, alios, qui, cum rem nimis urgere atque nimia demonstrare vellent, nugas nonnumquam protulisse atque inania captasse mihi videntur. Cfr. TEUFFEL. *Geschichte* cett. p. 549, A. 6 (ubi de Tibulli elegiarum «trichotomische Gliederung» loquitur): «Es ist nicht wohlgethan das was ein Gefühl für Gleichmass eingab zu steigern bis zu mechanischem Ausrechnen.» Cfr. p. 556, A. 4. (cfr. etiam eius *Stud. und Char.* Leipz. 1871, p. 386; GEBHARDI. l. adl. *De Tib. Prop. Ov. distichis* cett., p. 29; EVALD. DIETRICH. *Quaest. Tibull. et Propert.* Marb. Catt. 1873, p. 17 seq.; W. WAGNER. in *Rhein. Mus.* XX (1865), p. 315 seq.; MART. SCHANZ. *Gesch. der röm. Lit.* in *Handb. der class. Alt.* cett. VIII, 2, p. 111 seq.; ANT. EBERZ. in *Jahrr. f. Phil.* XCI (1865), p. 851 seqq., et XCIX (1869), p. 334 seqq.). In nonnullis enim elegiis, neque id solum in totis carminibus, sed etiam in singularibus eorum partibus, hanc legem, quam dixerim naturalem, observari facile concedo (quod idem demum sentire in suae disputationis extrema parte et conclusione videtur BUBENDEYUS ipse, p. 22, qui hanc rem certe moderatius quam PRIENIUS pertractat; cfr. etiam RIEMANN. l. adl. p. 16 extr.); do etiam, tripartitam illam atque concinnam divisionem, quam maxime in Tibulli carminibus cum alii tum GRUPPIUS et DISSENIUS (qui a sententia quadam Platonis proficiscitur, l. adl. p. LXVII; cfr. p. CIX) animadverti iusserunt, quaeque ex *exordio, medio carmine, exitu* constet, in Romanorum elegis plerumque quodam modo statui

cendum est, cum eos satis crebro duorum vel trium distichorum continuationibus, perraro plurium usos esse videamus.

---

posse (— etiam convenientiam quandam plurium elegiarum ad singulos libros componendos, quorum numerus ad legitimam normam exactus impar esset, 3, 5, 7, observasse Tibullum, demonstrare studuit Gruppius l. adl.; cfr. p. 213 seq.: « Die drei ist die Normalzahl für ein symmetrisches Ganze, Einleitung, Mitte und Schluss, und diese Zahl kann auf jeder Seite um ein oder zwei Glieder erweitert werden, je nachdem e. q. s. »; cfr. p. 266; 281 seqq.; 308 seqq.; 374 seqq.: cuius generis artificiosam compositionem maxime in venustissimis illis Tibulli elegiis, quae ad Sulpiciae et Cerinthi amores pertinent, admirari quis poterit: de qua re primus egit idem Gruppius l. adl. p. 27 seqq., qui has septem elegias refert —): sed et hanc legem non esse stabilem atque perpetuam, quam potius in carmina ex libidine et per vim inferri quam ex iis peti saepe a viris doctis, rectius fortasse dixeris, et eo minus in singulis uniuscuiusque carminis ex eodem versuum sibi usque respondentium numero constantibus observari partibus, firmissime assevero. Quid? quod huius artificii nec mentionem ullam fecerunt nec suspicionem ullam habuerunt veteres grammatici? Nam quae, antiquorum scriptorum locis prolatis, docet Ellisius (in Append. Cat. ed., Oxon. 1867 « *De aequab. partit. carm. Cat.*), ea neque admodum comperta exploratataque sunt nec certe ad carmen elegiacum aeque referri possunt. Hac de re nuperrime scripsit Ed. Woelfflinus, qui cum maxime de elegiae Tib. I, 3 compositione disputasset (*Zur Composition des Tibull*, in *Rhein. Mus. XLIX*, 2, 1894, p. 271 seqq.), Pindari et Sophoclis fortasse oblitus sic rem concludit: «Einen Dichter.. der eine ähnliche Kunst der Composition besessen, Griechen oder Römer, kenne ich nicht und giebt es wohl nicht», p. 274. Porro hoc fortasse non est omittendum, carmina Romanorum, id quod secus erat apud Graecos, cum modis musicis coniuncta non fuisse, neque etiam eo artificio recentioris poesis proprio ac praecipuo ornata, quod nostri appellant *rima*. Denique ad hanc rem ea faciunt, quae universe de poesi Horatii lyrica scripsit Occionius (*Le opere di Q. Orazio Flacco* in *Nuova Antologia*, Vol. 36, 1891, p. 432): « Come in generale gli antichi, così anch'egli badò a una certa struttura dell' Ode, senza per altro costringere il pensiero nel suo svolgimento a regole fisse: la sua norma principale fu l'armonia dell' insieme, a cui lo traeva naturalmente la somma squisitezza del gusto ». Aliud est enim dicere « um poetisch zu verstehen muss man vor Allem logisch verstehen » (quod recte praedicat Prienius l. adl.

Etenim, ut rem ipsam numeris declarem, duorum distichorum periodos (vel biniones), ut Tib. I, 9, 31-34:

— Tunc mihi iurabas nullius divitis auri
Pondere, non gemmis, vendere velle fidem,
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager —,

---

p. 82; cfr. etiam O. RIBBECK. *Gesch. der röm. Dicht.* cett. II, p. 203 et Jo. VAHLEN. *Ueber drei Eleg. des Tib.* in *Monatsb. der Berl. Akad.* 1878, p. 343), aliud hanc rem sic persequi et in maius extollere, ut disticha modo expungentes, modo immutantes, vel. quae magno versuum numero inter se distant, ea logice, ut volunt, coniungentes nonnulli tales elegiarum figuras nonnumquam statuerent, quales non illas quidem a poetis ipsis profectas, sed in opinionibus positas et ex libidine factas rectius plerumque dixeris. De compositione strophica, quam dicunt, et congruentia aequalitateque elegiae Latinae, alii aliter apud aliosque poetas elegiacos rem pertractantes, disputarunt, praeter eos quos modo nominavi, HERTZBERG. l. adl. l. II c. V p. 79 seqq.; K. MUELLENHOFF. *Ueber den Bau der Elegieen des Properz* in *Kiel. allg. Monatsschr.* 1851, p. 186 seqq.; ID. *Hermes* XIII (1878), p. 423 seqq., *Corneliaelegie* «regina elegiarum»; LUC. MUELLER. *De Ovid. Amorum libris* in *Phil. XI* (1856), p. 78 (Ovid. Am. I, 6); ID. *Zur Crit. des erst. Th. der Ovid. Dicht.* in *Rhein. Mus.* XVIII (1863), p. 85 seq.; O. KORN. *Zu Tibull* (1,6) in *Rhein. Mus.* XIX (1864), p. 497 seqq.; ID. *De cod. arch. carm. Tibull.* ibid. XX (1865), p. 167 seqq.; ID. *De carm. Ovid. ex P. dator. compos. stroph.* ib. XXII (1867), p. 201 seqq ; FRID. RITSCHL. *Ueber Tibull's vierte Eleg. des erst. Buchs*, in *Opp.* III, p. 616 seqq.; maxime inde a p. 629 (aus den *Ber. der phil.-hist. Cl. der k. sächs. Ges. der Wiss.* [Vol. XVIII, 1866, p. 56 seqq.]); ERN. RAUTENBERG. *De arte compos. quae est in Ovid. Amoribus.* Vrat. 1868; O. DRENCKHAHN. *Die stroph. Comp. im 3 B. d. Prop.* in *Zeitschr. f. Gymnasialw.* XXII (1868), p. 177 seqq.; 257 seqq ; ID. *Die stroph. Comp. im 4 B. d. Prop.* Stendal, 1868; CHR. LUETJOHANN. *Comment. Prop.* Kiel, 1869, c. III, p. 57 seqq.; HERM. GROTH. *Quaest. Tibull.* Hal. Sax. 1872, p. 9 seqq.; P. WEIDENBACH. *De Cat. Callim. imit.* Lips. 1873, p. 36 seqq.; H. FRITZSCHE. *Quaest. Tibull.* Halle, 1875; BERN. LINKE. *Tibullus quantum in poes. eleg. profecerit comparato Cat.* Luckau, 1877, p. 18 seq.; K. RIEMANN. *De compositione stroph. carm. Tibull.* Coburg, 1878; ROB. SCHARF. *Quaest. Prop.* Hal. Sax. 1881, p. 61 seqq. (de l. V elegg. compos.).

repperi apud Tibullum 68 (l. I: 41; l. II: 24; l. IV: 3), apud Propertium 221 (l. I: 43; l. II: 15; l. III: 54; l. IV: 52; l. V: 57), apud Ovidium 90 (l. I: 25; l. II: 29; l. III: 36).

Trium autem distichorum inter se arcte coniunctorum, ut Ovid. III, 12, 35-40:

— Protea quid referam, Thebanaque semina dentes,
  Qui vomerent flammas ore, fuisse boves,
Flere genis electra tuas, auriga, sorores,
  Quaeque rates fuerint, nunc maris esse deas,
Aversumque diem mensis furialibus Atrei,
  Duraque percussam saxa secuta lyram? —,

loci sunt apud Tibullum 25 (l. I: 14; l. II: 10; l. IV: 1), apud Propertium 66 (l. I: 18; l. II: 7; l. III: 16; l. IV: 13; l. V: 12), apud Ovidium 13 (l. I: 1; l. II: 5; l. III: 7).

Praeterea quattuor distichorum comprehensiones (vel quaterniones) non plures sunt quam 4 apud Tibullum (l. I: 3; l. II: 1), et 8 apud Ovidium (l. I: 3; l. II: 5), quinque autem distichorum non plures quam 1 apud Tibullum (I, 7, 33–42) et 1 apud Ovidium (II, 13, 7–16), cum contra apud Propertium prioris generis numerus sit 23 (l. I: 7; l. II: 2; l. III: 2; l. IV: 8; l. V: 4), posterioris 13 (l. I: 4; l. II: 2; l. III: 3; l. IV: 4 [1]).

---

[1]) In libro V cum duorum distichorum complexiones multo plures sint quam reliquae, tum etiam nullum offendimus distichorum circuitum, qui quattuor distichis maior sit: quod est etiam, praeter alia, maioris harum elegiarum quam reliquorum librorum elegantiae praestantiaeque indicium. Quocirca optimo quidem iure scripsit TEUFFELIUS, *Geschichte* cett. p. 556, A. 4: «Das fünfte Buch wird durch seine gröszere Strenge im Metrischen als das späteste erwiesen»: de qua re cfr. etiam, praeter C. KIRCHNERUM, ibi laudatum, ROB. SCHARF. *Quaest. Prop.* Hal. Sax. 1881, p. 71, qui LACHMANNI, HERTZBERG'I,

Sed hac quoque in re Propertius Tibullo et Ovidio inferior esse videtur, quod, quo erat nonnumquam elatiore tamquam spiritu atque ore maiora fortasse sonaturo quam mos et natura ipsa carminis elegiaci ferebat [1], longioribus quam quattuor et quinque distichorum complexionibus utitur interdum, ut s e x distichorum: II, 1, 5–16, s e p t e m: II, 3,9–22; IV, 2, 1–14; IV, 11, 23–36, n o v e m: IV, 22, 1–18, atque adeo d u o d e c i m: IV, 4, 23–46; quod ne Catullus quidem umquam facere ausus est, apud quem maximam distichorum continuationem carm. LXVI, (in qua tamen etiam alia notanda ac reprehendenda esse, supra dixi) ex septem distichis (vv. 1–14) constare vidimus.

Etiam satis crebro, idque sane longe saepius fit quam apud Tibullum et Ovidium, Propertius in pluribus distichis continuandis aut interpositiones vel interclusiones, quas Graeci παρενθέσεις vocant, usurpat aut sententiam tum a pentametro, vel etiam a medio pentametro, unius aliusve distichi orditur, tum in hexametro, vel etiam in medio hexametro, sententiam in uno aliove superiore disticho incohatam concludit; quod patet a carminis elegiaci natura paullulum esse alienum, cum in extremo quoque pentametro et numerum, quem ad finem quasi defluere dixeris, sedari et totam sententiam vel totius sententiae partem

---

HEIMREICHII contrariis sententiis iure quidem suo adversatur. Cfr. etiam LUC. MUELLER. l. adl. *Rei metr. summ.* cett. p. 27, n. 4.

[1]) Cfr. quae ipse de Callimacho dixit II, 1,39 seq.: «Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus — Intonet a n g u s t o p e c t o r e Callimachus» et III, 32,32: «Et n o n i n f l a t i somnia Callimachi», ubi particulam negantem ad *inflati* pertinere, non vero ad verbum *imitere*, quod supra est, esse referendam (ut in n o n i n f l a t i λιτότης, quam dicunt Graeci, lateat et verba haec significent *admodum exilis*), ipse crediderim. Cfr. HERTZBERG. l. adl. p. 195.

minorem eamque integram absolvi terminarique oportere, supra demonstraverim. Cum enim et Tibullus et Ovidius perraro in distichorum periodis continuationi sermonis medium aliquid interponant, quorum prior verborum interclusionibus utatur quinquies, alter ter [1], Propertius huius generis interpositiones usurpat undevicies [2], idque etiam, quod sane minus est ferendum, bis nonnumquam in uno eodemque distichorum circuitu, ut II, 3,9-22 (vv. 10-12 et v. 16) et IV, 6,67-74 [3] (vv. 69-70 et v. 71 - in med. hexam.). Praeterea cum Tibullus et Ovidius admodum raro sententiam aut a pentametro incipiant aut hexametro finiant (— horum locorum testimonia non plura sunt quam duo apud Tibullum et novem apud Ovidium [4]), Propertium hac quoque in re, si cum

---

[1]) Id est apud Ovidium: II, 13,12-14; 18,20; III, 5,28, apud Tibullum: I, 3,27 (inde a med. hexam.) - 28; 8,28; II, 5,23-38; 71-78 (ex traiectione Muelleriana); 6,26. Sed id non est infitiandum, in Tibulli elegia quinta libri II verbis interpositis inde a versu 23 usque ad versum 38 et paullo infra inde a v. 71 usque ad v. 78 omnium longissimas digressiones effici, quae cum a carmine elegiaco, tum a natura ipsa orationis Tibullianae, quae sit simplex, subtilis, inaffectata, abhorrere videantur: sed aut dicendum, hoc carmen in iis esse ponendum, quibus extrema manus non accesserit (ut ipse cum Gruppio l. adl. p. 80 seqq. crediderim) aut Dissenii iudicio standum putantis, «haec ad imitationem sublimitatis lyricae facta videri; maioris enim spiritus visas et digressiones mythicas quales Pindaricas, et hoc parentheseos genus interrupto cursu orationis» (l. adl. in *Comment.*, p. 271).

[2]) Prop. I, 16,11-12; 17,16; 22,6-8; II, 3,10-12; 16; III, 3,22; 13,16; 19,13; 27,4; IV, 6,69-70; 71 (Muell., in med. hexam.); 10,40; 14,34; V, 1, 90; 122; 4, 73 (inde a med. hex.)-74; 5,42; 6,28; 8,6.

[3]) In editione Muelleriana, qua me uti supra dixi, versus 25-28 huc sunt translata.

[4]) Apud Ovidium: I, 8,110; 10,7; II, 13,15; 21; 15,3; 16,29; III, 13,17; 14,45; 15,3; apud Tibullum: II, 3,50; 5,117.

cum ceteris comparaveris, modum paullum excessisse dixeris, qui talem licentiam tricies sibi sumpserit [1].

Quid plura? cum apud Tibullum et Ovidium singula disticha mora quadam graviter distinguantur ac tum solum minus forti atque etiam admodum debili interpunctione notentur, cum plura disticha, tamquam singularia membra omnibus suis partibus perfecta atque expleta, in unum quasi corpus maiore minoreve versuum ambitu rediguntur [2], Propertius non solum saepius quam ceteri disticha leniter interpungit [3], sed etiam vocabula interdum vel

---

[1]) Septies in l. I (4,27; 8^b,44 seq.; 9,29; 11,5; 19,23; 20,47; 22,6), quater in l. II (3,10; 7,3; 8^b.35; 9,27), quinquies in l. III, (3,14; 12,31; 13,17; 19,14 seq.; 31,19), octies in l. IV (6,53; 59; 71 (M.); 8,3; 10,35; 49; 11,13; 24), sexies in l. V (2,63; 6,39; 7,53; 8,69; 9,13; 10,41).

[2]) Lygdami et Neaerae elegias a Tibullo abiudicandas esse, ex hoc quoque, praeter alia, efficitur, quod versus III, 3,1-10 et praecipue 4,51-60 (cfr. maxime v. 51 cum v. 57) tam longa eademque tam laxa compositione inter se cohaerent, ut aliquid simile frustra requiras in germanis Tibulli elegiis.

[3]) In ipsis plurium distichorum complexionibus interpunctiones plus aut minus graves esse dicendum est, prout arctius aut laxius disticha inter se coniungi videntur: quae res ut subtili exactoque iudicio statuatur ac certa habeatur, non semper fieri potest, cum saepe magis in uniuscuiusque opinione quam in natura rerum posita sit. Namque, ut unus alterve locus exempli causa ponatur, in tali distichorum complexione (Tib. I, 8,19-22):

— Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet anguis iter,
Cantus et e curru Lunam deducere temptat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent —,

interpunctionem inter utrumque distichon, cum utrique suum sit verbum, graviorem esse ipse statuo quam in eadem elegia (vv. 9-12)

— Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos
Saepeque mutatas disposuisse comas,
Quid fuco splendente genas ornare, quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu? —,

asperius quam Catullus sic distrahit, ut verba sua natura aut positione coniunctissima unius coli non in uno disticho, sed in versibus duorum distichorum aut subsequentibus aut etiam non subsequentibus tamquam disiecta membra reperiantur. Cuius generis loci omnium insolentissimi hi sunt:

I, 11,1-6: Ecquid *te* mediis *cessantem,* Cynthia, Bais,
Qua iacet Herculeis semita littoribus,
Et modo *te* Protei *mirantem* subdita regno
Proxima Misenis aequora nobilibus
Nostri cura subit memores a ducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?

IV, 14, 31-35: Ac veluti, magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus ubi adverso desinit ire Noto,
Littore si tacito sonitus rarescit harenae,
Sic (cadit inflexo lapsa puella genu)
Sera, tamen pietas: e. q. s.

---

ubi verbum *prodest,* ad quod omnia illa verba infinita pertinent, utrique disticho commune est. In priore genere cfr. etiam Tib. I, 1,29-32 (=11-14 M.) cett.; Prop. II, 1,59-64 cett.; Ovid. I, 9,9-14 cett.; ad posterius autem ipse rettulerim, praeter locos eos, in quibus pluribus distichis verbum aliquod commune est, eas omnes distichorum continuationes, quarum cola ratione aliqua grammatica inter se colligantur (veluti cum enuntiato alicui prioris vel primi ordinis alia enuntiata ordinis inferioris [secundi, tertii cett.] subsunt, aut cum in utroque enuntiato vel in omnibus enuntiatis ea est paritas partium, ut sententiae inter se arctissime conexae eodem tenore progrediantur). Quae cum exposuerim, prioris generis interpunctiones, ne quid medium inter validam interpunctionem et debilem statuatur, in gravium numerum referendas esse censeo, posterioris in levium. Itaque cum interpunctionum levium numerus sit apud Tibullum 63 (l. I: 34; l. II: 25; l. IV: 4), id est in centenis distichis 9,12 %, apud Ovidium 114 (l. I: 27; l. II: 47; l. III: 40), id est in centenis distichis 9,29 %, apud Propertium 454 (l. I: 98; l. II: 42; l. III: 85; l. IV: 146; l. V: 83), id est in centenis distichis 22,64 %, sequitur, ut interpunctiones graves in centenis distichis sint apud Tibullum 90,88 %, apud Ovidium 90,71 %, apud Propertium 77,36 %. Inde cum perspiciatur, quam sint hac in re vicini atque finitimi Tibullus et Ovidius, efficitur etiam, quantopere ab horum norma deflectat Propertius.

V, 8, 3–7: Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic ubi tam rarae non perit hora morae,
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
Qua penetrat (virgo, tale iter omne cave)
Ieiuni serpentis honos, e. q. s.

V, 8, 67–69: Atque ubi iam nostris lassavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur, e. q. s.

V, 10, 39–41: Claudius Eridanum traiectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti parma relata *ducis*
Virdomari, e. q. s.

Cfr. etiam I, 3, 13-15; 31-33; 20, 7-11; IV, 2, 1-4; 10, 39-41; V, 1, 99-102; 3, 67-69; 6, 27-29. Loci vero apud eundem I, 4, 25–27 et I, 20, 25-27, utrum huc sint referendi necne, dubius sum, cum in priore verba hexametri *Praecipue nostro* (v. 27) non ita cum pentametro superiore (v. 26) cohaerere videantur, ut unum quiddam inde fieri dicas, in posteriore autem etsi subiectum *Hunc duo sectati fratres* (v. 25) cum verbo *instabant* hexametri insequentis (v. 27) in disticho altero grammatice coniungitur, tamen rectius fortasse dici potest, in participio *sectati* vim latere modi finiti, tamquam sit *cum sectati essent:* ut non interpunctionem nullam, sed levem statuendam esse potius videatur. Apud Tibullum ne unum quidem omissae interpunctionis exemplum est: nam verba II, 5, 117 *Ipse gerens lauros* iis, quae superiora sunt, leviter apponuntur et hic quoque verba sic intellegi possunt: *cum ipse geram lauros*; at contra apud Ovidium in Amorum libris unus certus, mea quidem sententia, locus est habendus, in quo nulla distichorum interpunctio statuenda

est: III, 6, 39–41:

— Ille fluens dives septena per ostia Nilus,
Qui patriam tantae tam bene celat aquae,
Fertur in e. q. s. —,

nam subiectum quod est *Nilus*, etiamsi *fluens* interpreteris perinde ac sit *qui fluit*, non ad secundarium enuntiatum, sed ad primarium necesse est pertinere. Cetera II, 6, 17-19, III, 6, 13-15, III, 15, 11-13, in eos locos, qui debili interpunctione notantur, rectius fortasse rettuleris, cum in primo atque altero verba distichorum posteriorum (*iuvat* et *opto*) in prioribus quoque audiri dixeris, in tertio vero subiectum, quod est *aliquis spectans* (v. 11), ita explicari atque intellegi potest: *cum aliquis spectet*: adeo ut subiectum verbi *dicet* (v. 13) ex superiore disticho deducatur ac suppleatur.

Quae modo adnotavi, in quibus maximeque in disticho concludendo Propertium a Tibullo et Ovidio nonnihil differre patet, haec ab Alexandrinorum imitatione, quorum proprie studiosus fuit « Romanus Callimachus », repetenda esse videntur [1]: monendum est enim, in illos atque in

---

[1]) Quod dedita opera fecisse Propertium, vel ex eo colligitur, quod maxime insolitae ac mirae distichorum coniunctiones in libro V reperiuntur, qui tamen et arte compositionis et elegantia ceteris antecellit.

His vero, quas modo exposui, aliisque rationibus ductus, optime iudicasse Hultgrenum l. adl. *Observationes* cett. I, p. 24 et Stampinium l. adl. *La Poesia Romana* cett. p. 29 opinor, Propertium cum aetate Tibullo, tum arte metrica Catullo successisse: quod de prioribus maxime tribus libris cogitandum est; cfr. Luc. Muell. l. adl. *Rei metr. summ.* cett. p. 11. Universi autem carminis elegiaci palmam Tibullo esse deferendam, equidem adsentior Quintiliano, proprie vero in distichorum arte condendi primas esse concedendas Ovidio, quis negaverit? Igitur etsi non paullum interest inter priores ac posteriores Propertii libros et alia etiam in

universos poetas Graecorum elegiacos «non cadere (ut verbis ipsis Theod. Bergkii, *Poett. lyr. Graec.* ed. IV, Vol. II, Lips. 1882, p. 390, utar) putidam diligentiam, quam Romani sedulo sectentur». Quod vero Bergkius *putidam diligentiam* appellat artificiosam illam compositionem singulos pentametros constanti fere interpunctione notandi [1] neque sententiam a mediis pentametris incohandi, eum naturam distichi elegiaci penitus non perspexisse aut animo comprehendisse, manifestum est. Quanto rectius Gruppius l. adl. p. 15: «Die griechischen Elegiker haben... noch nicht so regelmässig nach jedem Distichon eine Interpunction und einen Abschluss des Sinnes [2]; dies aber wird nun eben bei Tibull allerdings die Regel, und hiemit erst hebt die feinere Gliederung innerhalb des kleinen Versganzen an. Jedes Distichon ist eine Darstellung für sich, eine Situation, deren sich aber mehrere zu einem

---

Tibulli et Ovidii elegiis proprie animadverti possunt, tamen universe verissimum esse Luc. Muelleri iudicium puto (— Gebhardium l. adl. *De Tib.* cett. p. 32 adn. 21 ei obloquentem nihil moror) dicentis, *d. r. m.* p. 91, distichorum artem incohasse post Catullum Propertium, promovisse Tibullum, Ovidium denique talem perfecisse, non ut iucundius cogitari possit singulis. Etiam cfr. Vell. Paterc. II, 36, 3: «Tibullusque et Naso, *perfectissimi in forma operis sui*».

[1]) Hac in re distichon Romanorum elegiacum nonne cum figura illa metrica, quam nostrates vocant *terzina*, qualem certe plerumque condidit Aligherius, comparationem aliquam habere videtur? Nonne huius strophae tertius quisque versus numquam fere in exitu non interpungitur et sententiam concludit? Ex Latinis grammaticis primum Bedam optimam hanc distichi finiendi normam in poetarum elegiacorum principum carminibus repperisse atque aperte indicasse, supra dixi (p. 26 seq.). Ex recentioribus autem viris doctis primus, quod sciam, id animadvertit ac breviter tetigit Hermannus l. adl. *Elementa* cett. p. 359 extr.

[2]) Cfr. Bubendey. l. adl. *Die Symmetrie* cett. p. 4 seqq.

grössern gleichartigen Bilde zusammensetzen»! Cfr. etiam p. 14 extr.

Quin etiam eo progredior ut contendam, hanc maxime ob causam, ut alia [1] omittam, quod Romani in carmine elegiaco condendo sic versati sunt, ut singula disticha, cum haec per se considerarentur, una essent atque absoluta, et rursus inter se artificiosa quadam eximiaque compositione conecterentur, ut hinc unum ex vario et varium ex uno exsisteret, eos carminis elegiaci palmam Graecis praeripuisse, quippe qui huius carminis naturam forma ipsa et compositione distichorum verius atque validius expresserint.

VIII.

Pauca nunc addam quae maxime spectant ad elisiones verborum, quae et in prioribus pentametrorum ordinibus et in posterioribus fiunt: quae tamen maximam partem lenissimae sunt.

Pentametri enim numerum, quem versum ad distichi finem tamquam properare et ut stropham sic plerumque sententiam concludere diximus, in extrema praecipue parte pluribus vel duris elisionibus impediri ac retardari minime oportere, et per se patet et id quam sedulo poetae elegiaci principes caverint, numeri ipsi declarant [2]. Cum enim Ti-

---

1) Huc refero praecipue concinnas illas atque artis plenas substantivorum adiectivorumque conexiones, de quibus supra disputavi.

2) De praeceptis, quae sunt de elisione, cum apud universos poetas, tum etiam apud elegiacos, multa universe tradiderunt rei metricae scriptores, veluti Luc. Muellerus, Christius, Zambaldius, alii, ut eos praeteream, qui singulos elegiae Latinae auctores persecuti sunt; cfr. praeterea quae Luc. Muellerus de hac re docuit in Cat. Tib. Prop. edit. (Cat. praef. p. LXXV seqq.; Tib. praef. p. XXX seq.; Prop. praef. p. XLIX seq.) et in *Jahrr. f. Philol.* LXXV, p. 481 seqq (*Ueber die Elis. am Ende*

bulli disticha, quae singillatim pervestiganda suscepi, sint 691, Propertii 2005, Ovidii 1227, verba pentametrorum quam saepe et quibus locis elidantur (aut semel in uno pentametro, quod fere fit, aut bis, quod rarius invenitur) ex iis quae sequuntur apparebit. Namque in priore hemistichio elisio fit apud Tibullum septuagies ter (l. I: 41; l. II: 19; l. IV: 13), ut in centenis versibus pentametris ratio fere sit 10,56 %; apud Propertium trecenties vicies sexies (l. I: 41; l. II: 36; l. III: 83; l. IV: 85; l. V: 81), ut ratio fere sit 16,26 %; apud Ovidium nonagies semel (l. I: 20; l. II: 36; l. III: 35), ut sit ratio fere 7,42 %. In posteriore autem hemistichio elisiones, id quod facile intellegitur, multo rariores sunt: apud enim Tibullum inveniuntur decies (l. I: 5; l. II: 4; l. IV: 1), ut in centenis versibus pentametris ratio fere sit 1,45 %; apud Propertium centies bis (l. I: 11; l. II: 11; l. III: 31; l. IV: 35; l. V: 14), ut sit ratio fere 5,09 %; apud Ovidium duodetricies (l. I: 8; l. II: 12; l. III: 8), ut ratio fere sit 2,28 %.

Qua in re quoque a Tibulli et Ovidii arte paullulum recedere Propertium, liquet, qui etiam quadam nonnumquam elisionum libertate atque asperitate ab iis distat (cfr. Muell. l. adl. Prop. praef. p. XLIX seq.). Ut enim tantummodo de posteriore pentametri parte dicam, cum a Tibullo et Ovidio numquam syllaba in litteram *m* excidens vocali subsequenti elidatur [1], apud Propertium hoc fit quater

des lat. Hex.); etiam Io. Draheim. l. adl. *Herm.* XIV, p. 253 seqq.; Engbers. l. adl. *De metricis* cett., p. 12 seqq.

[1]) Uno excepto loco apud Ovidium (II, 9, 26 *malumst*), qui tamen non magnam habet offensionem, cum syllaba *um* cum voce enclitica *est* in extrema pentametri parte collidatur eamque ob rem in *est* aphaeresi locus sit.

decies (I, 10, 16; III, 15, 36; 19, 24; 30, 32; 32, 8: IV, 1, 58; 6, 12; 34; 7, 22; 14, 40; 22, 12; V, 1, 30; 7, 48; 8, 70): quibus tamen in locis encliticum *est* in extrema versus parte quater eliditur.

Duplices vero elisiones in singulis pentametris (triplices enim nusquam inveniuntur in optimis elegorum scriptoribus), quae aut in syllaba littera *m* conclusa et in vocali aut in binis vocalibus fiunt, repperi apud Tibullum tres (I, 8, 76; II, 6,6; IV, 13, 16), apud Ovidium totidem (II, 9, 26; 10, 2; III, 6, 80), cum apud Propertium hic usus paullo latius pateat: sunt enim elisiones duplices apud eum triginta (II, 1, 18; 3, 36; 5, 16; 20; 8[b], 38; 9, 36; III, 3, 10; 10, 8; 12, 24; 19, 24; 20, 10; 46; 23, 12; 28, 20; IV, 3, 10; 6, 12; 7, 40; 8, 32; 13, 30; 14, 42; 15, 14; 21, 26; 30; 23, 24; V, 1, 14; 36; 7, 36; 48; 9, 38; 54): quarum cum plures in utroque hemistichio distributae sint, nonnullae tamen in uno hemistichio reperiuntur, et semel etiam in posteriore, IV, 6, 12. Sed monendum, permultas huius generis elisionum fieri apud elegiacos encliticis *est*, *es* cum aliis locis, tum in medio vel extremo pentametro collocatis: quibus in sedibus, maximeque in postrema, in qua sententia plerumque concluditur, multo saepius et commodius quam in ceteris haec enclitica per aphaeresim eliduntur.

Quod si quaerimus, quibus maxime in locis elisio efficiatur, id quae sequuntur declarant.

Trium enim poetarum elegiacorum principum apud nullum fit elisio in primi pedis arsi;

in thesi vero primi pedis fit duodevicies apud Tibullum (l. I: 9; l. II: 5; l. IV: 4), centies septies decies apud Propertium (l. I: 18; l. II: 14; l. III: 29;

l. IV: 29; l. V: 27), tricies ter apud Ovidium (l. I: 8; l. II: 12; l. III: 13);

in arsi pedis alterius quadragies quater apud Tibullum (l. I: 24; l. II: 12; l. IV: 8), centies nonagies apud Propertium (l. I: 22; l. II: 23; l. III: 45; l. IV: 52; l. V: 48), tricies quater apud Ovidium (l. I: 7; l. II: 12; l. III: 15);

in thesi pedis alterius quinquies apud Tibullum (l. I: 4; l. IV: 1), quater decies apud Propertium (l. I: 1; l. II: 2; l. III: 4; l. IV: 2; l. V: 5), ter decies apud Ovidium (l. I: 3; l. II: 5; l. III: 5);

in arsi pedis quarti (h. e. in capite hemistichii posterioris) semel apud Tibullum (I, 4, 56), semel apud Propertium (III, 6, 10), numquam apud Ovidium;

in thesi pedis quarti ter apud Tibullum (l. I: 1; l. II: 2), quinquagies ter apud Propertium (l. I: 6; l. II: 7; l. III: 13; l. IV: 19; l. V: 8), quinquies apud Ovidium (l. I: 2; l. II: 2; l. III: 1);

in arsi pedis quinti apud Tibullum numquam, apud Propertium quater decies (l. III: 5; l. IV: 4; l. V: 5), apud Ovidium ter (II, 19, 48; III, 6, 46; 13, 10);

denique, id quod nusquam invenitur apud Albium et Nasonem, duo elisionis loci reperiuntur in pedis quinti thesi apud Sextum (IV, 3,14; 10,22).

Reliqua synaloephes vel synecphoneseos documenta ad unum omnia ad verbum encliticum *est* (*es*) in ultima utriusque hemistichii parte collocatum pertinent, quod tum littera *m*, tum, quod fit saepius, vocali superiore per aphaeresim eliditur. Quod vero tam saepe encliticum *est* (*es*) et in prioris et in posterioris ordinis exitu (id est, in arsi tertia et sexta pedum catalecticorum) elisum invenitur, aliud

hoc est argumentum, ut mihi videtur, quo probatur, posterius hemistichium hac quoque in re priori respondere: ut recte doceatur, pentametrum ex binis hexametri semiquinariis oriri atque constare.

Etiam Propertius, id quod fugerunt Tibullus et Ovidius, Catullum imitatus non dubitavit elisionem inter utrumque hemistichium, hoc est post incisionem pentametri, admittere; quod bis fit apud eum, I, 5,32: «Quaerere: non impune illa rogata venit» (cfr. supra p. 33) et IV, 22,10: «Herculis Antaeique Hesperidumque choros», dummodo ne hoc loco encliticum *que* monosyllabum per se stans habendum eamque ob rem ab *Antaei* dividendum esse dixeris.

Sed maioris sane momenti id esse videtur quod, ut vulgo traditum est, scripsit Propertius, II, 8, 8: «Vinceris aut vincis, haec in amore rotast». Qui locus cum eiusmodi sit, ut huic nusquam consimilis ne in Catulli quidem carminibus metro elegiaco conscriptis reperiatur [1]

---

[1]) Hac licentia qui usus sit, neminem invenio praeter primum Martialem (nam Domitii Marsi epigramma, de quo mox infra dicam, non curo), qui et aetate posterior et poeta epigrammaticus est: cfr. IX, 101,4 *domuīt* et XIV, 77, 2 *plorabāt:* quibus tamen in locis syllabas postremas *it* et *at* more veterum, non vero caesurae vi, productas esse, rectius fortasse dixeris; cfr. ZAMBALD. l. adl. *Metrica* cett. p. 154 seq. et CORSSEN. *Aussprache* cett. II, p. 493 seq. LUDOVICUS autem FRIEDLAENDERUS in Mart. edit. Leipz. 1886, II, p. 316, in priore loco syllabae *it* productae hanc esse causam putat, quod duae syllabae breves ante sint, in posteriore autem suspicatur, id quod etiam nonnulli libri manu scripti habent, legendum esse *plorabas*; cfr. praeterea quae de vocalis *a* productione («Dives Caesarea e. q. s.») disputat ad Sp. (Epigr. lib.) 28,10 (I, p. 159). In locis vero iis, quos ex *Anth. Lat.* ed. BURM.-MEY. 123,5 et 821,15 [rectius 16] adfert LUC. MUELLERUS, *d. r. m.* p. 332, (cfr. *Fragm. poett. Latt.* cett. ed B. p. 346, num. 1, v. 6 [Domitii Marsi epigr.] et *Anth. Lat.* ed. R. num. 463, v. 16), syllabam *it* (in *deposuit* [al. *posuit*] et *rapuit*) eadem causa longam esse contendo, quam modo exposui.

(cfr. supra p. 31), magnam semper mihi attulit dubitationem. Quid si locum illum esse corruptum suspicamur? Nonne contendi potest aliquid excidisse, ut praepositionem *nam*, ante *haec*? [1] huiusmodi enim elisionis aliud est etiam documentum et apud eundem Propertium, III, 6,10, et apud Tibullum, I, 4,56, Quae elisio si duriuscula, ut est re vera, videtur, num prorsus ineptum videatur, si facillima ac lenissima litterarum mutatione *haec* ex voce quae sit *sic* (antiq. *seic*; cfr. Georges, *Lex. der lat. Wortf.* Leipz. 1890, col. 637) ortum esse putemus? [2] Quod profecto non sine aliqua dubitatione conicio, cum meae opinioni communis omnium codicum consensus refragetur. Quod si locum sanum esse dixerimus, nihil aliud est reliquum (namque hanc licentiam, cuius unum sit exemplum in poetarum Romanorum elegis, Propertium sibi dedisse omnino nego) [3], ut statuamus, in verbo *vincis* syllabam postremam natura

---

[1]) Coniunctionem *nam* in iis monosyllabis esse numerandam, quae elisioni vel, ut ait ipse, synizesi apta potissimum invenerit, docet Luc. Muellerus, *d. r. m.* p. 283.

[2]) Eodem iure Heinsius (non vero Heynius, ut perperam scripsit Luc. Muellerus Tib. praef. p. XXIII: nam Heynius hanc coniecturam non primus protulit, sed quae ante coniecerat Heinsius quamquam in Tibullum suum non recepit, tamen non improbavit) ad Tib. II, 4,38 *Fecit ut infamis hic deus esset Amor*, pro *hic*, quod exhibent codices, scripsit *sic*, qua mutatione et metrum et verba restituta esse, recte dicit Bubendeyus l. adl. *Quaest. Tibull.* p. 23; itemque Theod. Korschius in *Rhein. Mus.* XLI (1886) - *Metrisches in Martial*, p. 155 seqq. —, suspicatur p. 157, in Mart. XIV, 77,2 *Lesbia plorabat, hic habitare potest* legendum esse *sic* pro eo quod est *hic*.

[3]) Hanc «productionem brevis finalis caesurae legitimae iure factam», Luc. Muellero, Prop. praef. p. LI, minime adstipulandum esse censeo, cum non de metro heroico vel de aliis versuum generibus, quorum multa adferri possunt eius generis exempla, sed de metro elegiaco agatur.

ipsa hoc loco longam esse veteres imitatum voluisse Sextum, cum antiquitus syllabam *is* (εις) in verbis temporalibus produci solere, et rei metricae scriptores docent et multa poetarum exempla declarant (cfr. Zambald. l. adl. *Metrica* cett. p. 155 seq.).

Cum alia omittam quae in poetarum elegiacorum principum distichis aliquam offensionem habere videntur (ut exempla vel hiatus in hexametro admissi apud Tibullum, I, 5,33, vel praepositionis in extrema hexametri parte cum substantivo ex ea apto in capite pentametri coniunctae apud Propertium, V, 2,3-4, vel durioris hyperbati, ut I, 7,26 et III, 5,13 seq. apud Ovidium), breviter nunc dicam de monosyllabis in prioris (nam de posteriore iam supra disputavi) ordinis exitu positis. Quod fere fugisse poetas Romanorum elegiacos, cum per se consentaneum sit (nam prius hemistichium eodem fere modo atque alterum, quod ei respondet, tractari oportebat), tum numeri, quos quam potui diligentissime collegi, aperto indicant [1]. Apud enim Tibullum unus est locus, ubi monosyllabum in caesura invenitur (II, 6,20), apud Propertium undecim (I, 8ᵇ,32; II, 1,48; III, 2,6; 13,16; 30,8; 32,58; IV, 12,20; 14,2; 23,6; V, 2,6; 5,58), apud Ovidium sex (I, 4,40; II, 16,14; III, 1,24; 2,16; 11,32; 14,32); in reliquis locis, qui sunt decem apud Tibullum (l. I: 6;

[1]) Quibus ex numeris exclusi, ut par erat, monosyllabum *est* (vel *es*, quod tamen non reperias elisum nisi bis apud Propertium, III, 31,36 et IV, 23,12, et semel apud Ovidium, II, 4,18), cum hoc encliticum ibi positum dummodo per aphaeresim verbo, quod prius est, adhaereat, nihil quod offendat habere videatur; nam aliter mea sententia tum se res habet, cum nullus est locus elisioni: quod item ad extremam posterioris hemistichii sedem pertinere supra dixi.

l. II: 3; l. IV: 1), **triginta** apud Propertium (l. I: 2; l. II: 6; l. III: 14; l. IV: 5; l. V: 3), **viginti septem** apud Ovidium (l. I: 8; l. II: 10; l. III: 9), monosyllaba monosyllabis praeponuntur: ut, id quod nemo ignorat, monosyllabi in extremo ordine positi asperitas minuatur atque paene tollatur.

Ac iam ut aliquando disputationem meam ad finem perducam (nam post Ovidium, qui, praeeunte Tibullo, distichi elegiaci tamquam leges constituit [1], ut hexametri heroi ipse atque Vergilius, supervacaneum videtur de hac stropha amplius quaerere), sic concludam atque definiam, Romanos, quos in omnibus fere poesis generibus a Graecis pendere dicendum est, tamen et in satira, carmine iis intacto totoque Latino, suos plane esse et in elegia, idque maxime in eius forma et compositione, non solum Graecos provocasse, sed

---

[1]) Cfr. iudicium, quod de Ovidii arte exquisitissima fecit Luc. Muellerus l. adl. *De Ovid. Am. libr.* cett. p. 77: «Pelignum vatem haudquaquam putasse sanos Helicone poetas excludi vel hinc apparet, quod cum natura ei ad versus procudendos esset ingenium felicissimum, tamen insitam dotem cura superavit, ut distichorum subtilissimus artifex et habendus sit et habeatur». Cfr. *d. r. m.* p. 403 seq. et Hultgr. *Observ.* cett. I, p. 35. Theod. autem Birtius, *Ad hist. hexam. Lat. symbola*, Bonn, 1876, p. 52 seq., lepide ille quidem de Ovidii arte admirabili ait, eum semper fere egisse fausta Minerva neque male eius artem cum hac dea comparari posse armata, quae ex capite Iovis prosiluerit. Atque Teuffel. *Geschichte* cett. p. 49, § 32: «Ovid war in der elegischen Form ganz und gar zu Hause». et O. Ribbeck. l. adl. p. 340: «Im Bau des Hex. und Pent. ist Ovid anerkannter Meister». Quamquam enim ei sponte sua carmen veniebat ad numeros aptos et quod tentabat dicere erat versus, tamen eum a limae labore non alienum fuisse pigrumve «scribendi ferre laborem, scribendi recte», et consentaneum est et non ex uno eius carminum loco colligitur. Quod si etiam Lucilio contingebat, ut «in hora saepe ducentos versus dictaret stans pede in uno» vel «scriberet ducentos ante cibum versus totidem cenatus», Horatii de Lucilii arte iudicium severissimum satis est omnibus notum.

etiam victores discessisse [1]. Si quis enim accuratius huius naturam consideraverit, nemo est profecto quin admiretur eximiam illam Romanorum sollertiam, qui tali numero usi sint, in quo omnia, quae iucundam varietatem, venustatem, dignitatem carminibus vere ex animo manantibus adderent, cum « callida verborum iunctura » optime consociata cernerentur.

---

[1]) Praeter alios, idem sentiunt HULTGRENUS l. adl. *Die Technik* cett. p. 771 seq. et *Observationes* cett. I, p. 36 seq.; GRUPPIUS l. adl. p. 402 seqq.; HERMANN. l. adl. *Epitome* cett. p. 130; TEUFFEL. l. adl. *Geschichte* cett. p. 49, § 32. Qua in re cfr. quae universe de arte Romanorum metrica disserit LUC. MUELLERUS, *d. r. m.* p. 21.82.131.215 seq.; *Entstehung der röm. Kunstdicht.* Hamb. 1890, p. 9; *rei metr. summ.* cett. p. 17, coll. Mart. Ep. IX, 11,17, qui dicit, a Romanis Musas cultas esse severiores quam a Graecis; *Cat. edit.* p. LXI seq. Adde quae de hexametri Romanorum cum Graecorum comparati structura atque conformatione proprie disputavit DROBISCHIUS in «Bericht. der k. sächs. Ges. der Wiss.» 1873, p. 1 seqq. (*Ueber die Unterschiede in der Grundanlage des lat. und griech. Hexam.* Cfr. MEYER. l. adl. *Zur Gesch. des gr. und lat. Hex.* cett. p. 1024 seqq.).

INDEX RERUM

ADDENDA

In indice librorum pag. 111: Fr. Fiedler. *Verskunst der lat. Spr.* Soest, 1862, p. 53 seqq. — M. W. Drobisch. *Ueb. die Classif.* cett. in *Bericht. der phil. — hist. Cl. der k. säch. Ges. der Wiss.*, 1872, p. 1 seqq. et 27 seqq.; Id. *Ein statist. Versuch über die Formen der lat. Hex.* ibid. 1866, p. 75 seqq. — Bern. Linke. *Tibullus quantum in poesi elegiaca profecerit comparato Catullo.* Luckau, 1877. — I. Hilberg. *Die Gesetze der Wortstellung im Pentameter des Ovid.* Leipz. 1894 (librum inspicere nondum potui).

De Plauti ed Ennii epigrammatis (p. 52 et 53 in adn.), praeter alia, doctissime ac subtilissime nuper disputavit Henr. Cocchia, *Gli epigrammi sepolcrali de' più antichi poeti latini* in *Mem. dell' Acc. di arch., lett. e belle arti in Napoli,* 1893, quem equidem libellum doleo me tum demum legere potuisse, cum iam priores libri paginae prelo subiectae erant.

Quod spectat ad Useneri sententiam (p. 7 in adn.), contra quam comperi nuper disseruisse Wilamowitz (in *Herakles,* I p. 57 adn. 18), cfr. Ferd. Duemmler, *Der Ursprung der Elegie* in *Phil.* LIII, 2, 1894, p. 201 seqq.: quam quoque disputationem non ante legi quam iampridem pars illa mei opusculi typis erat exscripta.

CORRIGENDA

Pag. 19 *vers.* 22 *ante* duo *legendum* —: in versibus synartetis —. *p.* 34 *v.* 2 *leg.* —: quippe cum —; *ib. v.* 21 *leg.* —: gentilis —; *p.* 36 *v.* 33 *leg.*—: Jahrbb. —; *p.* 54 *v.* 27 *leg.* —: cfr. p. 53 —; *ib. v.* 33 *leg.* —: quas —; *p.* 60 *v.* 17 *leg.* —: 1865 —; *p.* 64 *v.* 6 *leg.* —: maximi —; *p.* 75 *v.* 1 *leg.* —: causa —; *p.* 88 *v.* 25 *leg.* —: Aen. IV, 629 —; *p.* 89 *v.* 5 *leg.* —: habendum —; *p.* 105 *v.* 22 *leg.* —: cum hoc alioqui multa ei —; *p.* 107 *v.* 7 *et p.* 112 *v.* 12 *leg.* —: distichon.

Pag. 71 *vers.* 1-2 *omittendum* —: 105 ... Laudamia —; *p.* 80 *v.* 11-12 *om.* —: ut non... concludatur —; *p.* 91 *v.* 17 *om.*— : umquam —.